Et si quand vi ko puis
vous mener yer soir

CHRISTVS IVDEX,

TRAGOEDIA

Cl. Franciſci Antonij Curtij Parthenopœi.

Neap. Typis Roncalioli. Apud Caſtaldum. 1654.

Superiorum permiſſu.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Psalm. 118.

EMINENTISSIMO,

AC REVERENDISS. DOMINO

FABRITIO SABELLO

S.R.E. CARDINALI

AMPLISSIMO.

Salernitanæ Vrbis Pastori vigilantissimo, meoq; Mœcenati Benignissimo.

Cler. Franciscus Antonius Curtius Neap. F.

ACcipe Mœcenas, nostri noua gloria ſęcli
Quod tibi dat, ſi quid pagina laudis habet;
Quos potui, tenero flores è cespite legi:
Vndè trahunt lucem cuncta redire volunt,

Auſpice te noſtrum felix ad ſidera carmen
Tollitur, inque Polum nobile feruet iter;
Indignũ fateor: Meque hinc dolor vrit amarus,
Oraque flammanti tincta rubore pudent.
Magne heros, meritò, quẽ purpura veſtit, & oſtrũ.
Forma ſacri cœtus, Purpureiq; Chori.
Quis poterit claris te non intexere chartis?
Atq; tuum ſemper concelebrare decus?
Qui tantum Virtute nites, Pietatis alumnus,
Vt cuncti te celebrent, ſuſpiciantq; Viri:
Deſine nos Hedera cinctos tibi dicere laudes;
Quęre, caput lauro, qui tua facta canant.
Vera loquor, tantos quoties accingor ad orſus,
Et cupio nomen tollere ad aſtra tuum,
Deficio: Oceanum laudum tentare tuarum
Formidat timida mente Camœna rudis;
Ne tuus ille meo non tàm clareſceret ore,
Quàm

Quàm culpa ingenij detereretur honor;
Vaſta minùs noſtro ſulcantur marmora lintre,
Et natat exiguis paruula Cymba vadis.
Qui numero poterit ſtellas cõprehendere Cęli,
Et quanta in Lybico littore arena iacet;
Syluarumq; leues frondes, & gramina campi,
Et volucrum pennas qui numerare velit:
Ille tuas poterit cantu perſtringere laudes,
Princeps, & dignis te celebrare modis:
Sed tua ad Heſperios, ab Eoo littore virtus
Nota, Poetarum non eget ore cani:
Atq; per immenſum plaudentibus àèra pennis
Ad Cęlum è terris dum vaga Fama volat;
Quin etiam cęleſtis honos, cęleſtia poſcit
Munera, diuinas cælicus optat opes;
Ergò cape, & noſtrũ exiguum ne ſperne libellũ:
Accipe ſincera qui tibi mente datur.

Sanctũ opus,& ſanctũ munus te Principe dignũ,
Hoc magni paruum teſtis amoris erit.
Quòd tua ſi noſtris cęptis afflauerit aura,
Et dederit votis vela ſecunda meis:
Tunc ego Mœonios auſim propè dicere verſus,
Et cantare nouos altiùs ipſe modus:
Tunc ego Pegaſidum magnos perrũpere fontes,
Gorgoneo, & potero permaduiſſe lacu.
Tunc ego, te digno potero tua dicere verſu,
Quæ menti tollunt robora cuncta meæ:
At nuuc ſit voluiſſe ſatis, tentaſſeque tantùm
Materiem, & digitos applicuiſſe lyræ:
Te precor, exigui carmen ne ſperne Pòètę,
Non ſpernit Summus munera parua Deus;
Illi ſit viuax æterna in ſęcula nomen,
Atq; auguſtus honos: Et tibi fauſta ſalus.

AVCTOR LEGENTI.

EXiguus liber est (vt cernis) Lector Amice:
Est tenue ingenium: paruaq; vena mihi;
Ordo quis hic? inquis. Quę lex, ratione libelli
Non Consociat versus, dissociatue tuis?
Nulla: vagis erro numeris: nec ab ordine certo
Non Compositum quarit pagina nostra decus.
Cætera quin etiam squalent: nec floris honore
Iucundi, aut cultu pingo nitente modos.
Hoc compti curent vates, quibus otia laxa,
Et studium est ardens, ingeniumq; ferax.
Ipse rudisq; & iners, spatijsq; arctatus iniquis
Temporis horrentes nil nisi fundo rubos;
Sat molles lusi cantus, ætate tenella;
Sat numeros cecinit Musa iocosa leues
Non lustrare vagis nunc mens Helicona Camœnis,
Sed canere insolitis carmina sacra modis.
Ergò breues, quos hic numeros, angustaq; lusi
Carmina (vix vera carmina voce vocem)
Hæc mea pauperies donat tibi, candide Lector,
Qui potis est animus plurima, plura dabit.

In

IN Congregatione habita sub die 8. Aprilis 1653. fuit dictum, quod Parochus Sancti Eligij Maioris reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Gregorius Peccerillus Vic. Gen. Neap.

Reuerendissime Domine.

DE mandato Perillustris, & Reuerendissimi Domini Vicarij Generalis Neapolitani, Ego Thomas Bottilierius vidi, legi, & attentè consideraui hoc Opus, intitulatum, Christus Iudex, Tragœdia Cler. Francisci Antonij Curtij, & in eo nihil inueni, quod Fidei Catholicę, ac bonis moribus aduersetur; ideò dignum censeo, quod typis mandetur, si placebit eidem Reuerendiss. Domino Vicario Gen. Hac die 15. Aprilis 1653.

Thomas Bottilierius S. T. D. Parochus Sancti Eligij Maioris Deputatus.

In

In Congregatione sub die 29. Maij 1653. coram Eminentissimo fuit dictum, quod stante relatione supradicta Reuisoris imprimatur.

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vic. Gen. Neap.

Fr. Ioseph de Rubeis Ord. Min. Conu. Sac. T. D. Eminentiss. Card. Philam. Theol. Cons. S. Offic. & Congr. Secr.

Excel-

Excellentisſime Domine.

TRagicum Opus, cui titulus, Chriſtus Iudex, auidè legi, nec quidquam occurrit, quod verendæ, venerandæq; Catholici Regis Iuriſdictioni aduerſetur: Imò viuidum Cl. Franciſci Antonij Curtij tragicis etiam in oſtentis ingenium, & Chriſtianam in promerẽdis legentiam animis agnoui religionem. Quare dignum iudico, quod prodeat in lucem. Datum in Collegio noſtro Macedonio quinto Idus Nou. 1654.

Excellentiæ veſtræ

Seruus humillimus.

D. Vincentius Vitus
Cong. Somaſchæ.

Vidit Regius Conſiliarius, & Præſ. Regiæ Cameræ Io: Baptiſta Amendola ſuper reuiſione Librorum Commiſs. ſpecialiter delegatus per S. E.

Ioannes Baptiſta Amendola.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur. De Soto Reg. Burgos Reg. Martinez Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. die 27. Nou. 1654.

Anaſtaſius.

A D

AD LIBRVM

Auctoris Prosopopœia.

Parue Liber, totum tandem spatiare per Orbem;
Liuor Aristarchi nulla venena vomet:
Tu modò vilis eras, & plebs: nunc in ordine celso
Nobilium magno clarus honore nites:
En sopor excutitur chartis: en quæstus opimus,
En tibi Purpureæ copia lucis adest:
Perge igitur quocumq; libet per tela, per hostes,
Dum frueris vita, sit tibi nulla quies.
Auspicijsq; bonis fisus, ductuq; potenti
Arripe festina strenuus arma manu:
Hinc datur vt superes vitæ cuncta aspera victor,
Teq; procul mordax sit dolor, atq; metus.
Perge age, segnitiem pigris tandem excute chartis,
Assiduèq; vrge, dum licet, acer opus:
Copia cum facilis summi tibi detur honoris,
Et minimo patcant astra labore tibi:
Quis furor in tenebris ignaua per otia malle
Fœdatus semper sorde iacere graui?

O quan-

O' quantum perijt tibi temporis. Incipe tandem.
Incipe difficilem ſtrenuus ire viam:
Abſcedat faſtus, tumidæq; ſuperbia mentis,
Omnis mox animi concidat atra lues;
Naſcitur hæc illa proles genitrice, nec antè
Quàm videat matris funera, nata perit:
Gloria namq; fugit, ſtudio cum quæritur acri,
Aſt animo ingenti ſi fugiatur, adeſt:
Sic inſtare vides tenuem fugientibus vmbram,
Sed volucri inſtantes effugit illa pede:
Ergo humili iam te mergens ſub tartara ſenſu
Abijce, nil proprię robore nixus opis;
Hinc, inquis, iactura mihi, damnumq; paratur,
Ipſaq; diſcrimen non leue fama ſubit;
Pauperies inſtat, morbus populabitur artus,
Me manet illuuies carceris, exul ero.
Hæc refugis vecors. Ergo ſperare ſalutem
Deſine: dumq; aura veſceris, eſto miſer:
O ſi dura pati certamina fortis amares,
Paxq; odio, tanquam res inimica, foret.
Tùm ſuperans terra nigrantia nubila, Cęlo
Arduus inferres, ſideribuſq; caput.
O' nimium felix, ò terq; quaterq; petenda
Sors grauis; hanc meſſem, quæ tibi fundit opum;
Paruus es, & triſtis varijs agitare dolorum
Fluctibus: at properans i pede, curre, vola.
Cum fueris carptus, quamuis defendere cauſam,
Et nomen, facilis ſit tibi fortè labor,
Tu caue defendas: Domino confide tuenti;
Ponè oculos: Sacram ſat tetigiſſe manum.

Dichia-

Dichiaratione del Primo Atto.

IL *Prologo sarà la Chiesa Christiana piangendo la rouina de i suoi figliuoli, causata per la persecutione dell'Antichristo. Doppo pregato Christo da' suoi Santi, che acceleri il tempo del Giuditio, manderà Michele à scarcerare Lucifero dall'Inferno, dandogli potestà di far tutto il male, che vuole al Mondo; il quale per questo fine si seruirà dell'Antichristo, compartendoli molti tesori, e potestà di far molti miracoli falsi, ma apparenti. Sarà prefigurata la venuta dell'Antichristo al Mondo con quei due segni dell'Apocalisse; primo col Dragone, che combatterà con la Chiesa; secondo con quella bestia, che vscirà dal Mare con sette capi, e dieci corna. Comparirà l'Antichristo al Mondo come vn Rè potentissimo; volendo con dottrina, e falsi prodigij persuadere alle genti, che egli è il vero Messia: martirizarà alcuni Christiani, che gli contradiranno.*

Quì

Quì finisce il Primo Atto, & uscità un Choro di Profeti esortando i Christiani alla constanza, e perseueranza contro l'Antichristo.

ECCLESIA DEI LACERNATA, ET CORONATA.

PROLOGVS

ILLA ego, tot populos, æterno enixa Parenti,
Felixq; ante alias fœcundo viscere Matres
Languida nunc senio, viridisque effœta Iuuentæ,
Et scelera, & clades cogor deflere meorum.
Tu Superùm Pater, & thalamos complexus ab æuo
Chviste meor, ades, & nostros bonus aspice casus,
Tu me coniugio primis dignatus ab annis
Formoso in nemore, & vernanti in sede locaras,
Otia tunc fuerant, propriamque datura quietem
Alta quies, & pax æternæ pignora pacis.
Nec mora longa fuit, qui me genuere Parentum
Crimine rapta quies, & pax in prœlia versa est;
Ergo squalentes dum demoror aduena terras,
Arma manu tractanda mihi, repetendaq; sœuo
Marte quies? ecquos sine luctu, aut cladibus annos
Duximus! ecqua meis caruerunt sœcula bellis!
Infans in lacrymas data sum, crudelibus Infans
Damnata exilijs, & Auerni sauciatelo,
Nec dum firma satis, stabiliq; adoleuerat ætas,
Cum vix me pelago, Cæloq; ruentibus vndis
Eripui, Phariam rabiem, Latiique furentis
Sceptra tuli, quoties auido mea uiscera ferro
Depastus furor Assyrius! quid cætera flendo
Exequar; haud quamquam capiti Iudæa pepercit
Ira meo: non & membris Romana potestas.
Si quando fessam torror vibrare securim

Desistit, abstinuitq: meis ceruicibus ensem,
Continuò fluctus in me, Scyllæque procellas
Concitat impietas Vatum malè fida, Deique
Interpres, nunc me gladij, nunc æquora vexant
Alternis, labor alter adest si cesserit vnus;
Sed non magna queror, longè maiora supersunt
Funera: Templa dabit flammis, populabitur Aras
Eximè, noua iura feret, noua Numina condet;
Vbera queis populos alui fædare veneno
Certabit, septemq; mihi quæ Balnea coniux
Struxerat, eluere vt labes & crimina possem
Disijciet, rapiet torques, auroq; micantem:
Qui mihi coniugij pignus, datus annulus hæret
Atteret, heù quanto spumabunt vrua meorum
Sanguine! quot gladio! subita quot mortem cadentes
Aspiciam miseranda Parens! heù barbarus ensis
Natorum quoties lacerabit funere matrem!
Parce metù, mea progenies, neu tempus in vllum
Cede malis, dabit & vires, & præmia vestri
Digna Pater. Vos, vos miseros, qui talia genti
Fata meæ, tantosq; pijs inferre labores
Audetis, multò nobis grauiora luendum
Exitia, & clades. In nos iurabit Olympus,
Motuq; implacidè fundens immugiet Orbis,
Pallida nox Solem rapiet, nec sidera reddent,
Grandine tecta ruent, & toto fulmine colles,
Sæuiet horrisonum pelagus; vaga flumina lymphas,
Afflra diem, fruges tellus auersa negabit,
Et rapidis tandem considerent omnia flammis.
Maxime tu Iudex hominum, qui proximus instas,
Tu casus solare meos, tu fontibus æquas
Redde vices, meritosq; meis pro cladibus ignes.

ACTVS PRIMVS.

Abel, Noè, Abraham, Moſes, Dauid, Io: Baptiſta, D. Petrus, D. Paulus, Chriſtus, Michael.

Ab. REX hominum, ac sũmo proles œquęua Parẽti,
Qui nos in patrijs tecum conſidere Regnis,
Aeternaſque iubes vnà tibi dicere laudes;
An modus vllus erit, votis, precibuſq; tuorũ,
Flecte oculos precor, & terris pia lumina fige
Nate Deo, quid adhuc cineres, atq; oſſa piorum
Squalida morte iacent, triſtique fluentia tabo?
Quorum alia aut ſcopulis illiſa, aut merſa ſub vndis
Pontus habet, ſaxorum alijs grauis incubat agger:
Hæc data preda auibus pendent ſuſpenſa per auras,
Illa vel in media canibus lacerantur arena;
Ergo etiam poſtquam gladios, Regumque furores,
Verberaque, & rapidos etiam ſuperauimus ignes,
Hæc indigna Lues, hic ſqualor noſtra manebat
Corpora? iam tandem finem, ò Regnator Olympi
Pone malis, ſua ſit requies, & præmia feſſis
Corporibus, quæ ſi duros ſubiere labores,
Cur non & Superi lœtentur munere Regni?
Quin & ſi tulimus quaſquas vis impia clades
Intulit, imbuimus ſi noſtro ſanguine campos,
Primus ego ante alios, cur non dum, ò maxime Regum
Supplicia inſtauras, exemplaque talia noſtris
Hoſtibus? & quid adhuc terris erramus inulti?

Noè. Et mihi, ſumme Deus, liceat ſi pauca profari,
Vera locutus Abel, & non indigna repoſcit:
Humanam decuit iam tunc excindere gentem;
Cum vetus ille olim in populos graſſatus aquarum
Impetus, haud equidem tàm prono in crimine vulgo
Parcendum fuit; at vicit clementia, vicit

Te pietas, noſtrumque genus ſeruauit ab vndis:
Ecce iterum ſcelera in populos, iterumq; per Orbem
Improbitas furit; en per terras qualia vexant
Fata pios, iam tot clades, tot funera paſſos;
Quid reliquum eſt? cur non iſtos, quibus vnda pepercit
Flamma vorat, ſummoq; immiſſa incendia Cęlo?
Vtque olim incautos effuſis imbribus Aether
Merſit, ita incautos cęca ſub nocte nepotes
Ignis edax rapiat, perdatq; in Tartara fontes.

Abr. Ipſe etiam cinis exiguus, cęnoſaq; puluis
Pauca loquar: Tandem poſt multos vidimus annos
Promiſſam populis noſtra de ſtirpe ſalutem,
Vidimus ex Erebi tenebris erepta Piorum
Millia, Tartareoſq; Duces in vincla petitos
Vidimus, & Cęli reſeratas uidimus arces;
Gratulor, atq; habeo grates, & carmina dico;
Vna mihi reliqua eſt, animoſq; hæc vna remordet
Cura meos, nam ſi noſtro tu ſanguine cretus
Omnibus auxilio es, cur noſtram deſpicis vnà
Progeniem, Ciueſq; tuos? æquum ne carere eſt
Ipſos, quam reliquis ipſi peperere ſalutem?
Quòd ſi certa meis ſpes eſt poſt vltima Mundi
Sęcula, da ſpatijs ſaltem breuioribus annos
Currere, da celeri fatalia tempora curſu
Præcipitent: nec longa dies mea vota moretur.

Moſ. Sit mihi fas ijſdem te nunc vrgere querelis,
Vera Dei ſoboles, neq; enim patriæq; domuſq;
Immemor eſſe meæ poſſum, quam per maris vndam,
Hoſtileſq; acies, & tot diſcrimina rerum
Eripui, antiqua Pharij ditione Tyranni:
Imo agè tempus adeſt, cur non modò noſtra propago,
Sed tua cunctæ etiam venerentur Numina gentes.
Hoc vatum reſponſa canunt, hoc tu mihi quondam
Pollicitus dum iura dares in vertice Synæ,
Lex mea non fines, nec Hebrœi ſanguinis Vrbes
Egreſſura fuit, tua ſed præcepta per Orbem
Iure iubes, certiſq; vetas conſiſtere Regnis.

Dan. Omni-

Dau. Omnipotens Deus arma cape, atq; horrendus in hostes
Castra moue, quate nunc populos, nunc disjce Reges,
Qui tibi, nec sacra thura ferunt, nec Numen adorant.
Si magnam hanc Orbis tua magna potentia molem
Extruxit, tua si rerum sapientia cursus
Temperat, ignoscit tua si clementia nostris,
Et vitæ, & scelerum noxis, hoc tempore tandem
Iustitiæ meminisse tuæ, quæ cognita paucis,
Nec benè tuta iacet, dum nunc sors impia vexat
Insontes, tollitq; hilares fortuna nocentes.
Ioan. Nunc tua dextera potés, nunc, & tua fuscina messem
Triticeam, lolio, ac leuibus seponat aristis,
Neù simul illa sinas ijsdem flauescere campis
Vlterius! *D. Pet.* Iam nostra diù est Ecclesia sęuo
Obluctata mari, & sat longis militat annis;
Ostensum satis est, nullas obsistere vires
Consilij potuisse tuis, nunc ponere cunctos
Arma iube, & fidus referat sua præmia miles,
D. Pa. Quæ mora nate Deo? cur non cælestia comples
Castra tuis? cur regna vacant? quando Aetheris alti
Magna domus cunctos sibi qui debentur alumnos
Excipiet? mea si manus, aut labor vtilis vlli,
Nulla mora in Paulo est, iterum per regna vagari
Terrarum, atq; iterum monitis cælestibus Vrbes
Imbuere est animus, iuuat, & crudelia rursus
Vincla pati, duræq; iterum dare colla securi.
Chr. O socij mecum clades, mecumq; labores
Perpessi, ò delecta cohors, pars altera nostri
Pectoris, haud equidem vestris obsistere fas est
Optatis, iam dudum eadem me cura sub alto
Corde premit, rata vota dabo, quæ supplice dextra
Funditis: at subeunda prius manet ultima clades,
Spargendus cruor, & ceruix ferienda Piorum est,
Venturus falso simulet qui nomine Christum,
Qui circum terras, & qui maria omnia circum,
Et face, & aduersis nostros exerceat armis:
Postquam illum cælesti adigam sub tartara telo,

Haud longè est suprema dies: nec plura moratus
Hùc Michael. *Mic.* adsum. *Chr.* Michael in pallida Ditis
Mœnia verte gradum præpes, geniumque rebellem,
Quem cohibes vinclis oneratum mille per annos
Solue, aditumque aperi ad superos vt Numine leuo
Transuersos rapiat populos, Mundiq; supremum
Inchoet interitum. *Mic.* properè mandata capesso.
Sed ventum ad fauces Erebi, squalentia cerno
Ostia, ter nostra pulsentur cuspide postes,
Et ruat aduersum conuulso cardine limen;
O quem tartareus bisquina in secula vinctum
Carcer habet; cœcis atrum caput effer ab umbris.

Ach. Me miserum, ad quæ fata vocor! clades ne luenda
Maior adhuc? specus an subeunda immanior vlla est?

Mic. Pone metum; neque enim nunc ad grauiora vocaris
Exitia, imò aditus superùm tibi liber in orbem est.
Egredere, & circum nexis tete exue vinclis;
Magna tibi datur à Mundi rectore potestas,
Regna hominum, & maria, & gentes agitare quietas:
Terrarum cape sceptra, atque his interritus aude,
Quæ libuor quæcumque furor, quæcumque libido
Suaserit; *Ach.* haud quamquam inuitus tua iussa facesso.
Iam tandem datur in populos stragemque, luemque,
Spargere, iam quatere exitijs, & cladibus Vrbes;
Agnoscant homines quanto cum Principe iungant
Bella, gematque meis concussus viribus Orbis.
Sed quis erit mihi de multis, qui cœpta satelles
Nostra iuuet, peragatque libens, quæ pectore verso
Consilia? Hebræa quemdam de stirpe futurum,
Qui libertino fuerit genitore creatus
Fama est: qui scelere, atque infandis omnia bellis
Misceat, hic mihi nunc opus est, hic protinus, hic est
Quærendus, Babylon, ubi celsas erigit arces.

Saulus, Acheron.

Saul. ERgo nè Christigenùm fastus, populumq; potétem
Hebræi patimur? patimur per templa, per aras
Tot simulacra coli, & mentitum numen Iesum?
O gentem inuisam, & veræ pietatis alumnis
Exitiale genus, vos Regum sceptra tenetis,
Vos, vos, indigna geritis diademata fronte,
Vester honos, vestri fasces, & regia vestra est;
Ad vos imperium, ad vos iam delata potestas
Romulidum, nos, heù, deiecti culmine Regni,
Infames, profugi, ignauum sine nomine vulgus
Exilijs agimur, patrijsque erramus ab oris.
Ach. Incensum Iuuenem furijs, & multa querentem
Audio, sed nostro conspectù territus hęsit,
Et pugilem intentat gladium, ferroque minatur.
Saul. Quisquis es absiste hinc procul, & vestigia retrò
Verte celer. *Ach.* nec nim Iuuenis, nec noxia cuique
Tela fero, nihil hìc opus est gladioque, minisuè
Quin potius, me dante, feres quæcumque reposces:
Quod nomen tibi, & genus est? *Saul.* ego nomine Saulus
Et genere Hebræus, Dan nostræ gentis origo est.
Ach. Acta mihi res est, tu votis ipse petitus
Omnibus, ut uideo Iuuenis non indole segnis. (opacæ
Saul. Sed tibi quæ patria est, quæ gens? *Ach.* ego noctis
Arbiter, umbrarumque potens, ego rector Auerni:
Ne paueas, rectè tecum est, hæc culmina montis
Ascende; atque omnes latè circumspice terras;
Hinc Noton, hinc Borean oculis, hinc perlege uersis
Solis utramque domum, circumque iacentia regna;
Horum ego sum Dominus, parent hæc omnia nobis,
Et tribuo cuicumque uelim: si tu mihi supplex
Ad genua acciderís, sacrum mihi thuris honorem
Si dederis, mea si fueris ueneratus ad aras
Numina, tu Mundi, tu rerum iura meārum
Accipies; tradam pelagi, & telluris habenas.

Saul. Nulla mora eſt, quin te regnorum, aurique potentem,
Non uenerer, ſi des præſertim in prælia uires (naris?
Quæ iam dudùm animus ueſat. *Ach.* quibus arma mi-
Saul. Chriſtigenis. *Ach.* ijſdem iam pridé ego bella, luemq;
Molior, hos ipſos aduerſis proſequor armis,
Hæc inimica mihi totum gens una per orbem eſt:
Vade agè, communemque luem communibus armis
Aggredere. *Saul.* Vndè mihi bello delecta Iuuentus?
Vnde cohors? quis miles erit? *Ach.* Faxo omnia cedant
Pro uotis, ecce auri, atque æris millia pondo,
Quæ tibi ſub terris longo ſeruantur ab æuo
His tecum populos, his his ad noſtra maniplos
Caſtra trahes; quos non aurum tua ſub iuga mittet?
Saul. Hebræos ne etiam? *Ach.* qnid ni tua iuſſa ſequentur
Hebræi, ſi te mutato nomine Chriſtum
Dixeris: illum inquam magni quem rector Auerni,
Hebræo generi priſcis promiſit ab annis.
Saul. Nulla fides erit, & fingi ſibi ſomnia credent.
Ach. Facta fidem facient; hæc noſtri inſigna Regni
Sceptra cape, his animos inferno ex orbe ciebis,
His terram quaties, his & iaculabere nimbos
Et ſubitas per inane faces ad ui minis ictum:
Ipſe adero, & tecum quæuis miracula rerum
Perficiam. *Saul.* Placet in uirga, atque in uimine ſacro;
Præſidij ſatis eſt. *Ach.* Si quos nec tanta mouebunt
Prodigia, & malè ſuada fames non uicerit auri;
Hos adige in tormenta reos, extremaque rerum
Exempla: ac primum ex Pharia tibi gente tribunos,
Armorumque Duces ſtatue, atque in prælia mitte;
Hinc tibi biſſenos milites ſeruabis inermes,
Qui tecum populos doceant, & myſtica rerum
Exponant alijs; Tu magni Antiſtitis ora,
Talaremque habitum, & ſacros imitabere vultus.
Vnum illud moneo ante alia enitare neceſſe eſt,
Moribus, ac factis Galilęum reddere Ieſum;
Chriſtigenæ cui ſacra ferunt; ſic & magis illis,
Gratus eris, magis, & uatum reſponſa ſequeris;

I fælix non parua feres pro ingentibus auſis
Præmia.

Symeon Sacerdos Chriſtianus, Gad, Sephron, Arod, Viri Populares.

Sym. PRoh' quam mæſta dies, & quamquam nubila Cælum
Nulla tegunt, & adhuc aſtrorum lumina fulgent,
Lux tamen inuiſa eſt, circumque expalluit Aether.
Gad. Sed tonuit Cælum, heù quæ ſe pulcherrima Virgo
Extulit, en Solis radios induta coronam
Fronte gerit, conſertam aſtris, pedibuſque ſuperbis
Et lunam premit, & parientis more puellę
Horrendum gemit. ———

Elegiaci deplorantis Eccleſiæ.

HEù quàm difficili rumpuntur viſcera partu,
Dilacerat quantus membra recuſſa dolor.
Tu pater Omnipotens, & qui potes omnia Coniux
Progeniem foueas, pignora noſtra, tuam;
Immanis labor eſt, tua me niſi dextera ſeruet,
Et matrem, & Sobolem mors dabit vna rogo;
Quin, & acerba fremens in me Draco guttura laxat,
Inque vterum ſpirat dira venena meum;
Da mihi Cælicolas, da ſæua in prælia uires,
Da ſuperum gladijs peſtis abacta ruat.
Seph. ——— Ecce aliud mirabile uiſu;
Ingens è Cælo ſeptem capita extulit anguis,
Lucida ſideribus totidem, atque horrentia denis
Cornibus, & caudæ ſpiras dum ſæuus in Orbem
Colligit, auulſa aſtrorum pars tertia Cælo eſt;
Ecce, & prægnantem rabido petit ore puellam,
Adſunt Cælicolæ, & gladijs, & fuſtibus anguem,
Præcipitem Cælo rapiunt: heù quæ ſuper arua
Hoc monſtrum ruet! hinc fugite ò Iuueneſque, Seneſq;
Sym. Nos miſeros, in quam cladem, in quæ tempora rerum
Seruati ſumus, heù quæ Cælum fata minatur;

Iam

Iam tandem redeunt diuina oracula Vatum,
Diraque fatidicis toties repetita Sybillis
Signa, fidem accipiunt, & certo certa probantur
Euentu; Sed quis fragor hic, quæ tanta uirorum
Hùc fuga? *Ar* Continuò in siluas, nemorumq; receſſus
Vos rapite, ò Ciues, ingens ſe ſe æquore tollit
Bellua, quæ uibrat ſepteno uertice collo
Cornua uerticibus, diademata cornibus hærent,
Ore Leo eſt: Vrſum plantis, & corpore Pardum
Reddidit; Vbi à tanta monſtri feritate latendum?
Sym. O ſocij agnoſco extremi fatalia ſigna
Temporis, agnoſco exitium, mundique ruentis
Interitum, iam iam ille aderit qui nomina Chriſti
Arroget, atque alias leges, & contraria noſtris
Iura feret, nunc obſiſti, nunc ſtare neceſſe eſt,
Nunc lacrymis opus ad Superos, nunc pectore firmo.

Antichriſtus, Iubal, Lamech, Gameliel, Antichriſti Duces.

Ant. HEbræas tibi iunge manus, fortiſſime Iubal,
Argolicaſque domos penetra, e bizzantia regna;
Illa ſupremus Graiorum Antiſtes in Vrbe eſt,
Talia cui mandata refer. Sacer ætheré ab alto
Chriſtus adeſt, ſolymaſque tenet Rex maximus arces;
Hic eſt quem toties Vatum monimenta canebant,
Hic miſſus Genitore Deo eſt, ut cogat in unum
Relliquias Solymi generis, populumque potentem
Romulidum, & quocumque ſitas ſub ſidere gentes;
Tu quoque da ſocias dextras, noſtrumque Pelaſgos
Mitte ſub Imperium; quòd ſi mea iuſſa recuſet,
Nunc Iubal ferro aggredere, & quate mænia bello.
Iub. Perficiam dicto citiùs. *Ant.* Fidiſſime Lamech,
Compitaque, & totam comple clangoribus Vrbem,
Et refer aduenisse Hebræo ex ſanguine Chriſtum:
Templum adeant omnes, ubi me cæleſtia iura
Mandatem excipiant. *Lam.* populos ad templa uocabo.

Ant. Tu

Ant. Tu quoque Gamaliel, cui non est frigida bello
Dextera, coge tuas Syrorum ex Vrbe cohortes,
Pontificemque mone Romanum, ut subdat habenis
Seque, suosque meis: quod si mea iussa superbus
Detractet, Latias admoto milite Turres
Euerte, & ruat in præceps domus alta Quirini.
Gam. Exequar, hæc quæcumque iubes sanctissime Princeps.
Lam. Clangite nunc lituis, huc cogat buccina plebem.
Gam. Quid tuba, quid rauco, monuerunt cornua cantu!
Lam. Heus Iuuenes; iam, iam sacras Rex magnus ad aras
Venturus; Vos hinc uenientem cernite Regem.
Pulpita strata tibi iam sunt, conscendere fas est;
Vos taciti, intentique animos audite loquentem.
Ant. Accipite, ò Ciues, animisque aduertite uestris,
Quæ refero. Deus omnipotens ab origine Mundi
Mandauit primis hominum, ne tempus in ullum
Arboris auderent uetitæ decerpere fatus;
Nec mora longa fuit falsa sub imagine Serpens
Enecuit stygia delusos arte Parentes,
Et genus omne hominum mortis sub iura coegit:
Effusum scelus in populos, effusa libido,
Non ullus pietatis honos: antiqua Tonantis
Religio, cultusque Dei sublatus ab orbe.
Fingebat sibi quisque Deos, aut sidera Cæli,
Aut pecudum formas; aut ductos marmore uultus;
Nulla salus patuit, non ulli regia Cæli,
Sed noctis stygiæ in tenebras miserabile uulgus,
Inque Erebi rapidos ignes, & nigra ruebat
Tartara; Sed Deus hanc pestem miseratus ab alto,
Omnibus ex terris gentem tibi uendicat unam,
Cui sacra, cui leges, cui regni manda t habenas;
Quin etiam Populo Regem promittit eidem,
Qui mortis rabiem infringat, qui tollat Auerno
Exuuias ueterum Patrum cæliquè recludat
Ostia, qui scelerum, & primæuæ uincula culpæ,
Abrumpat, latèque omnes dominetur in oras;
Hunc prisci patres, hunc optauere priores
Cernere;

Cernere, nec licuit; uobis hoc munere tanto,
O Ciues, gaudere datum est, quid plura necesse?
Ille ego sum Deus, hanc uobis me ferre salutem
Iussit, & id clara testatur uoce per auras
Deus Filius hic meus est, hæc est patris unica proles,
Pater. Hunc an imis audite pijs, & pectore casto,
Ach. Eluet hic scelerum noxas, hic coget in unum
Sparsos in diuersa tuos Abrahame nepotes.

Symeon Sacerdos, Antichristus, Lamech, Onan Energumenus, Phares, qui trahit Energumenum, Salatiel Martyr, Dina Mater, Effron adolescens mortuus, Caynan Præco, Salef Dux Antichristi.

Sym. NOn equidem, tua, nõ equidem me uana mouebũt
Somnia, nequicquam, ò Ciues, uestigia patrum
Linquite, præcepta, & monitus retinete priorum,
Perditus hæc Acheron finxit. *Lam.* cui talia iactas
Improbe? ni sileas excussis dentibus ora
Comminuam tibi. *Sym* non terrent quęcunq; minaris,
Christum ego, non aliu m noui, nec noscere fas est,
Non alium nisi, quem dispessis arbore palmis
Aspicio morientem, & culpas morte plantem.
Ant. Insignem memoras Christum, & te numine iactas
Egregio delire senex, quęnam tua mens est?
Quam potes ex illo tutam sperare salutem,
Qui nequijt capitique suo, capitique suorum
Tortorum rabiem, & miserandam auertere cladem?
Sym. Quę probra, quę nostro iactas conuicia Christo?
Hæc decori nõbis, hęc sunt insignia nostræ
Laudis, & hæc nostro generi peperere triumphos.
Illum, inquam, flagris lacerum, atque extrema ferentẽ
Exitia, hunc inuisum inopem, nulloque leuatum
Auxilio, hunc ipsum non ullo excindere pires,

Non

Non ęratę acies, non iuncto fędere Reges
Non ſtygię potuere manus, non ulla nouorum
Inuentrix ſcelerum Impietas; ſtant nomina Chriſti,
Stat pia religio, & manſurę in ſecula leges.

Ant. Quis furor hîc! quę te demens inſania uerſat,
Non uires horrere meas, non cedere noſtris
Imperijs! Grauia ò Iuuenes intendite palmis
Vincula, dementi excutiant tormenta furorem

Lam. Heù quę turba hominum collatis ſubuehit ulnis!

Onan. Quò miſerum trahitis cur ſancti Regis ad ora
Nolentem rapitis? *Pha.* Tu Rex miſerare furentem.

Ant. Agnoſco luctantem animam, quam dira còèrcet
Tyſiphone, hùc hominem trahite, atq; hìc ſiſtite feſſum.
Ille ego, quem ſummo Genitor demiſit Olympo,
Ægris Tyſiphonem iubeo di ſcedere membris.

Totus pop. Quàm ſubitò poſitus furor, & rabida ora quierunt,
Huic uerè Pater eſt, Cæli qui temperat Orbes.

Sym. Haud quamquam, ò ſocij; non hoc à Numine Cęli;
Carminibus magicis, ſtygiaque hæc arte peregit.

Ant. Heccine tu, ſcelerata lues, ea crimina Chriſto
Obijcis, hos iugulos, hęc colla tumentia uinclis
Comprimite, & ſummo funem ſuſpendite trunco.

Sym. Lętus ego, & funem ſubeo, & ſuſtollor in auras;
Sic Cęlum aſpiciam, ſuperaſque propinquior ædes,
Te Phlegeton manet, ultriceſque in ſęcula flammę.

Ant. Tollite, ne diro, terraſque, hominęſque ueneno
Imbuat, ille tuus te nunc ad ſidera Chriſtus
Erigat. *Sal.* O miſerum cur te, & tua templa uereri
Inuitos adigis, pœniſque, & funere uexas?
Falleris, ò demens: alia ratione furendum,
Et melior tentanda uia eſt; quò plura minaris,
Quò letho plures dederis, maioribus omnes
Viribus obnixi patrias tutabimur aras,
Fundemuſque etiam pro religione Parentum;
Quot tuus ex noſtris uita ſpoliauerit enſis;
Æterni totidem reparabit dextera Regis.

Ant. Te ne etiam inſanire iuuat? uincite furentem,

Nudate

Nudate illi humeros, reuocate in terga lacertos,
Nec mora, sanguinea in dorsum distrin gete lora.
Sal. Iesu ades, & validas in verbera suffice vires.
Ant. Iesum proclamas? depellat verbera Iesus.
Sal. Iesum ego, sub flagris, vnum sub verbere Iesum
Imploro, hac vna solabor voce laborem;
Non hoc ore mihi excuties, non pectore nomen.
Lam. Ecce autem pheretro Iuuenis stipante corona
Effertur, sequitur passis de more capillis
Mater, fœmineoque ululato sidera pulsat.
Dina. Me miseram, cui me Genitricem linquis habendam
Nate tuam? quid adhuc vitales demoror auras?
Me tecum trahe, & in tumulum condamur eundem.
Ant. Siste Parens gemitus, uos hùc frigentia membra
Ferte uiri. Viden' hunc inopina morte iacentem
Salatiel, uiden' extinctum florente iuuenta;
Experiare licet, ualeas si Ditis ab antro
Sublatum Iuuenem in gremium reuocare Parentis.
Sal. Non opus est tentare iterum miracula rerum:
Talia multa satis quondam gessere priores;
Quę modò tu figmenta canis, quæ somnia fingis?
Hæc tu prodigijs firma, hæc munire necesse est
Arte noua. *Ant.* Imbellem dextram, uiresque negatas,
Dissimulare paras, non hęc tibi tuta manebunt
Effugia; O quotquot Iunenile ad funus adestis,
Hùc mentes, hùc ferte oculos. Attolle pheretro
Membra puer, superasque ueni rediuiuus ad auras.
Totus pop. Quanta uiri uirtus, quantum est in pectore Numen,
Audijt ex Erebo uoce, pheretroque resedit
Mortuus. *Ant.* Effare, ò Iuuenis, quę fata nocentum
Videris, & scelerum pœnas Acheronte sub imo,
Dic quibus in terris, & certa, & uera colatur
Religio, quę sacra Deus sibi poscat, & aras,
Quas leges, & quę totum præcepta per Orbem
Seruari uelit, *Ef.* Horresc it mens omnia fari:
Illud non equidem tacito sub pectore condam;
Vidi ego crudeles dantem sub Tartara pœnas

Iesum

Ieſum illum, cui tanta ferunt præconia laudum
Chriſtigenę, hos etiam uidi non fanda luentes
Supplicia. *Sal.* Haud quamquam falles, ò callida peſtis,
Non uiuit Puer, at gelidos infuſa per artus,
Tyſiphone ſimulat uoces, animamque receptam;
Sed fugiat procul hinc audito nomine IESV.
Ant. Non flagris uicta eſt rabies, in colla ſecurim
Soluite, diſcerptumque hominem ceruice reuulſa,
In flammas rapite, & cineres ludibria uentis
Spargite. Vos mecum ò Iuuenes immania templa
Diripite, & fędis ſacras latronibus aras,
Principio circum decorata monilibus aureis
Fracta ruant ſimulacra, ruant mucrone petitę
Effigies, petite, & ſaxis, & uerbere Ieſum,
Suſſixamque Crucis flammis abſumite peſtem,
Ex imo infandis damnata altaria ſacris
Vertite, & obnixi date peſſum marmora contis;
Tu Caynan cape ſcripta ſacris edicta tabellis,
Et celer euulga in populos. *Cay.* Audite ſupremi
Horrida iuſſa Ducis, Solyma qui degitis Vrbe.
Chriſtigenum Populus poſthac nihil immolet aris,
Non ulla ex ebore, aut auro donaria templis
Suſpendat, Ieſum non uotis aduocet ullus,
Omnibus unus erit poſthac, Dominuſq; Paterque
Chriſtus, opes uobis ille, & ſublimia Cęli
Regna dabit *Ant.* Salef, hęc omnes edicta per Vrbes
Et gentes uulganda iubet, qui legibus iſtis
Parere abnuerint, facibus, ferroque peremptos
Demittas Erebo.

Chorus Prophetarum.

Flemus extremos hominum labores;
Flemus in finem properantis ævi
Funera, & iam iam quatienda fœno
Regna tumultu.
Vltima en Orbem lacerant ruentem
Fata, quæ nostri tripodes canebant,
Æmulus Christi populos, & arces
Obsidet armis.
Heù quis insanam rabiem Tyranni!
Quis truces bello fugiat cohortes!
Nudus hinc illinc furit, & per Vrbes
Fulminat ensis.
Nulla gens ferro vacat, hinc Iberum
Miles, hinc amnes Pharios cruentat,
Horret hinc armis Padus, hinc & Indo
Sanguine Ganges.
Sed quid hos demens agitas furores!
Arma quid Diuis inimica versas!
Non ruent vllis agitata bellis
Castra Piorum.
Regiam Christi benè firma cautes
Substinet, non has metuit procellas,
Non timet, quamuis cumulata plenis
Flumina nimbis.
Cymba quam Pontus, Zephyrique iactant
Fluctuat, sed non superanda fluctu est,
Ne ruat casu pelagi, potentem
nacta magistrum.
State; nil Christi soboles timendum,
Auctor ad pugnam Deus est, & idem
Militi fesso meritos in astris
Reddet honores.

FINIS PRIMI ACTVS.

Di-

Dichiaratione del Secondo Atto

NEl Secondo Atto ſanerà l'Antichriſto alcuni Zoppi, e ciechi; tormenterà vn Chriſtiano, che gli reſiſterà: butterà nel teatro gran quantità di danari, e coſe ricchiſſime a tutto il Popolo. Fingerà di morire, e ſi farà ſepellire in vn gran tumulo promettendo reſuſcitare il terzo giorno. Comparirà S. Pietro nella gloria pregando il Signore, che ſi ricordi mandar qualche aiuto alla ſua afflitta Chieſa. Chriſto ordinarà, ch'eſcano a predicare al Mõdo Enoch, Elia, e San Gio: Euangeliſta, i quali veſtiti di cilicio con dottrina, e con miracoli conuertiranno molte genti, e faranno rinouar le Chieſe, & imagini deſtrutte dall'Antichriſto, il quale fingerà di reſuſcitare con grand'allegrezza de' ſuoi, e ſi farà venire auanti queſti trè minacciandoli diuerſi

tormenti, si presumeranno contradirli, ma essi liberamente gli rinfacciarauno il vero Messia esser quello, ch'adorano i Christiani; per questo vorrà resuscitar' vn morto, il quale a' suoi gridi non resuscitando, per ira farà decapitare quelli trè Santi, con far publicare vn bando, che niuno gli sepellisca. Quì finisce il Secondo Atto, & uscirà vn choro di Sibille minacciando la morte all'Antichristo, e predicendo i spauentosi segni del Giuditio.

ACTVS SECVNDVS

Issachar, & Elom claudi; Machir, & Galaad caci, Antichristus, Melcham Martir, Totus Populus, Iubal Dux Antichristi, & Dathan unus Procerum Antichristi.

Iss. AVdistin'quàm magna ferât de Principe Christo
Qui uisus pridem in terris, & corpora soluit
Eumenidum furijs, & manes euocat Orco,
Artusque examines uitali robore firmat?

Mach. Audiui, atque utinam illius contingere uestes
Osculaque augustis liceat defingere plantis;
Tu pedibus rectis; Ego claro lumine felix.

Gal. Quin etiam largis illum, atque ingentibus aiunt
Diuitijs cumulare suos, inopesque leuare
Effusis opibus. *El.* Si non hęc uana feruntur,
Quęrendus nobis summis conatibus hic est.

Iss. Quod nobis erat in uotis Deus attulit ultro?
Ecce tubas uideo, uideo procedere longo
Ordine lictores, ipse est, quem quęrimus, ipse est

Ant. Gaudendum socij est: aspirant Numina cęptis,
Ad Greęos Dux missus adest, & lęta reportat.
Sed quid turba inopum mæsto clamore reposcit?

Quat. Dexter ades miseris, pedibusque, & lumine captos
simul. Auxilio solare tuos, mitissime Princeps,

Ant. Creditis ęthereo genitum me sanguine Christum.

4. sim. Credimus. *Ant.* Accipite haud dubia q̃ mẽte petistis

4. sim. Sole frui tandem, atque optato lumine Cęli
Fas est, & firmo uestigia figere gressu.

Mel. O uafrum scelus, his Acheron oppressa tenebat
Lumina, torpentesque gelu sub poplite neruos,
Idem etiam soluit miseros, quos ante premebat.

Ant. Corripite, & radijs hominem torquere rotarum:

Ille tuus docuit mentiri talia Christus
Assuetus plebi, faciliqui illudere uulgo:
Pauper erat, uitamque dolis, stygiaque tueri
Arte ponens, sed me tanti non criminis ullus
Arguerit, qui largus opum, qui plurima forti
Sceptra manu quatio, qui magnos cris aceruos
Effundo in populos. Tu nunc fidissime Datan
Aurum, Sardonicas pateras, & pallia circum
Sparge solo, miserę prędam, & solatia plebi.

Pep. O regem æthereum, ò redolentes numine mores.

Ant Tu quid ad hęc? anne hęc unquam gessisse magister
Dicitur ille tuus? *Mel.* Longè maiora gerebat
Cum pauit nemore in uasto tot millia uulgi
Solus, & innumerę suffecit fercula plebi;
Non tamen est largitus opes, non sceptra, nec aurum;
Temnenda hęc docuit, superis, quæ pectora rebus
Auertunt, spoliantque bonis cęlestibus; hęc tu,
Hęc largire tuis, neque enim melioribus illos
Diuitijs augere potes, tu munere plebem
Concilia, & populos qui te, & tua iussa sequantur
Argento redime; haud quamquam placitura sine auro.
Iesum quem ueneror, nō aurum, aut miles in Orbem
Intulit, at morum pietas delapsaque Cælo
Prodigia, ipsa etiam legis ueneranda potestas

Ant. Quanta furit capulis, Datan, atque ensibus ora
Tunde uiro, luat ut meritas amentia pœnas.
Sed Iubal redit, Inachijs festiuus ab Argis.

Iub. Magnanime, ò Princeps, & hebręę gloria gentis:
Graiorum Antistes multis te lętus ab annis
Accipit optatum, & dextras coniungit amicas

Ant. Gratulor; ausa Deus cursu fortunet eodem.
Omnia uos quæ dicam animis, & pectore fido
Seruate, ò socij. Pater alto à culmine Cæli
Iam dudum monet ut (fatalis, & ultima quando
Cuique dies obeunda sua est) & corpore soluar,
Et tumulo mander, lacrymis in funere nostro
Parcite, nec tumulum męstis urgete querelis:

Digres-

Digreſſus, ſocij, breuis eſt, nec tempore longo
Diuidimur, dabit incolumem me tertia uobis
Orta dies, mortiſque meę, quò fama uagetur
Certior, hac magna Populi ſpectante corona
Procumbam, mea uos date corpora Mauſolęo.
Dat. Occidit ille hominumque potens, rerumque magiſter,
Qui ueſtra innumeris ſoluebat corpora morbis,
Qui largas fundebat opes, cui ſub pede Reges,
Et faſces, & ſceptra dabant, pacemque petebant:
Sed lacrymis opus haud quam q̃ eſt, nō longa manebunt
Funera; ter poſtquam circum ſe uoluerit axem
Cynthius, ęthereas euadet ſoſpes ad auras.
At nos interea tumulo mandemus honores,
Et ſacro capiti inferias, & carmina demus.

D. Petrus, Chriſtus, Raphael.

D.Pe. NAte Patris ſummi, ueteris qui prima Parentis
Exilia, & noſtrę miſeratus funera gentis,
Humanas habitare domos dignatus ab alto es,
Nec tandem ueritus crudeli occumbere fato
Et membris lacer, & traiectus tempora dumis;
Quò cruor ille tuus, quo tot periere labores,
Tabenteſque genę, & multis liuentia membra
Verberibus? quibus hic Deus ò mitiſſime tantus
Sudatus cruor eſt? quibus eſt è corpore ſanguis
Proruptus? non humanę hæc impenſa ſaluti
Omnia? non homines his Cælo inferre parabas?
Quam benefacta tuis reſpondent nomina factis!
Tartarea illa lues iam pridem effuſa per orbem
Auertit populorum animos; legeſque priores
Abrogat, atque alias condit: noua nomina Chriſti,
Mentitur, dat largus opes, infanda minatur
Exitia, & ſubigit dicto parere timentes,
Quò precor uſque animis oculiſque hæc aſpicis ęquis?
Quę tàm longa tuas cohibet patientia uires?
Ne patiare tuo, ſtygijs, quos ſanguine ſeruas

Ignibus, hanc ſeuam peſtem, hoc haurire uenenum,
Eſtera quot miſeris eructat bellua terris:
Hoc Diuùm ueneranda cohors, hoc cara tuorum
Turba rogat: rogat, & ſi quid me poſcere fas eſt,
Canities ſenis; hęc quondam mea maxima cura,
Nunc grauior populi, & ſeruo communis amoreni.

Chr. Grata mihi pietas, grata, & tua feruida Symon
Pectora, non equidem, fido quæ concipis ore
Irrita uata cadent: Raphael talaria plantis
Necte tuis, inque agros per quos alta Damaſcus
Attollit caput, excuſſis allabere pennis:
Hęc regio incolumes priſco mihi ſeruat ab ęuo
Thesbitemque ſenem, atque annis iuuenibus Enoch,
Ioannemque meas qui leges, facta, laboreſque
Excepit calamo, miſitque in ſęcla nepotum:
Hos nemus àèreum, placidaſque relinquere ſedes
Admoneas, vitam repetant, curaſque priores
Et contrà ſtigiæ ſcelera, & noua crimina peſtis
Teſtentur vulgò in cunctis mea numina terris:
Per gladios illis demum via facta patebit
Ad ſuperos, triſti traiectis pectora telo.

Raph. Exequar hæc quęcumque iubes, curſumque p̄ auras
Corripio.

Raphael, Enoch, Ioannes Euangeliſta, Helias.

Raph. O Columen miſeris, ò ſpes fidiſſima ſęcli,
Oſtia felicis Raphaeli pandite ſyluę.

En. Lętus ades, ſuperæ decus haud ignobile gentis.
Quæ tibi cauſa vię? *Raph.* Cęli qui ſidera torquet
Imperat, è nemore, ac lętis excedere campis:
Venit ſumma dies, veteres qua voluere caſus
Antiquoſque opus eſt iterum ſuperare labores;
Extrema illa lues, non ulli incognita ueſtrum
Iam pridem furit, & latè bacchatur in Orbem:
Hoc lethale malum, reliquas ne ſerpat in oras
Comprimite, hanc monſtri rabiem cęleſtibus armis,

Arcete,

Arcete, & populis infandam auertite peſtem:
Sed ferro ſubiget uos, poſtquam in fata Tyrannus
Vltima ſtat ueſtro requies, pretiumque labori.
En. Quę tibi qui nutu terram, cęlumque profundum
Excutis, ęqua ſatis eſt pro mnuere tanto
Gratia? quòd fido, ac memori de pectore nunquam
Excidimus tibi, qui noſtro defendere terras
Auxilio, dextraque paras, regemque ſuperbum
Imbelli fręnare manu; tu dexter in omnes
Euentus ades, & dubijs ne defice rebus.
Ioan. Me ne etiam ſocium ſummis adiungere rebus
Chriſte potes? tanton' famulum dignaris honore!
Adſum; Tu quemcumque velis, caſumque, luemque
Obijce. *Hel.* iam tandem pro relligione tuenda
Bella iubes optata Deus, certamina lętus
Aggredior, ſęuos aſſuetus vincere Reges,
Auſpice te, iamque in medium, mora nulla, ruamus;
O ſocij in primis horrenti membra cucullo
Noſtra premi decet, & fędari puluere crines:
Corripiamus iter; Diuùm Pater auſa ſecundet.

Nauſan Popularis, Helias, Enoch, Ioannes, Ruben Popularis, Totus Populus.

Nau QVod genus hoc hominũ? quęnã hęc hęrętia dorſo
Carbaſa? quę triſtis macies, quis pallor in ore?
Hel. I celer, & totam effuſo clamore per Vrbem,
Huc ciues, matreſque voca, dic, ęthere ab alto
Aduenisſe viros, Superùm mandata ferentes.
Nau. Qua vos gente ſatos referam? quo nomine dictos?
En. Temporis haud huius, ſed priſcę ętatis alumnos.
Hel. Thesbites ego ſum. *En.* longęuum iunior ipſe
Mathuſalam genui. *Ioan.* Zebedęi ego filius alter,
Quem proles ueneranda Dei magis omnibus, vnum
Dilexit, fouitque ſinu. *Nau.* Proh' qualia Diuùm
Numina; diriguit trepida formidine pectus:
Hùc hùc effuſi certatim accurrite Ciues,

Hùc pueri, trepidique senes; hùc quidquid in Vrbe est.
Rub. Quid rerum est? quid nos tantis clamoribus vrges?
Nan. Admiranda fero, sęclisque incognita nostris:
Vidi ego cælestes animas, quique prioris
Heròàs, vidi maciem, squalentiaque ora:
Ecce adsunt. *Hel.* Solymi, ò Ciues, quid mentibus hęret
Attonitus stupor, & dubiæ sub pectore curę?
Hebręi sumus, & priscorum ex ordine Vatum,
Quos toties Deus in perituri funere Mundi
Mittendos iterum uobis, iterumque videndos
Promisit, nos diuinę tria tempora legis
Experti, triplici vitas equauimus quo.
Rub. Quatum decus, ò prisci clarissima sęcli
Lumina, saluete, & pedibus date figere uestris
Oscula. *En.* Nequaquam ò socij: mortalia non dum,
Aut membra, aut scelera exuimus, deflere ruinas
Venimus, hebręasque vices: aduertite mentes.
Quis cęcus furor, aut quę vos exegit Erynnis,
Hunc Vrbi Dominum, hunc uobis adsciscere Regem,
Huic adolere focos, huic iunctas tendere palmas:
Cęlicolum ille Parens, & qui regit omnia, multis
Misit ab hinc annis fęcunda ex Virgine Christum,
Vos illum oppressumque dolis, & crimine falso,
Pallidaque informi suffixum brachia trunco,
Militibus sęua lacerandum morte dedistis:
Heù scelus, heù rabiem insanam; non tanta uereri
Numina, non ora, & sacros horrescere vultus,
Non uestro generi, ciui non parcere uestro:
Testor ego superos, & Cęli conscia testor
Numina; non alium uobis in sęcula Christum
Mittendum, nec uos aliam sperare salutem.
Vos iuga, quę superi maduistis sanguine Regis
Imploro, uos excusso pondere montes
Intremite, atque meis nutanti uertice dictis
Annuite. *Pop.* Heù miseris, quęnam fuga tuta manebit
Pęnitet, heù scelerum: parce, ò sanctissime Vates.
Hel. Voce tenus gemitis, fallacique ore tumultum
Excitis, sed adhuc hęret sub pectore tabes,

Nec dum animis excussa lues, ò ferrea gentis
Corda, nec exitijs domita, aut terroribus ullis,
Vobis missa salus fuerat, per vestra uagatus
Arua Deus, prolesque Dei, uos prima decebant
Iura in cęlicolum sedes, & regna Piorum;
Sed uos, & scelus, & Christi turpissima cędes
His mersere malis, & fatis debita uestris;
Sceptra, viceſque alijs iam sunt trascripta colonis,
Victrices aquilas Princeps Romanus in Vrbem
Intulit, infesto populatus milite Turres,
Rapta qnies populo, sublati regis honores,
Templa ęquata solo, longęque excussa verendis
Sacra focis, & qui non Christi sceptra tulistis
Vnius, innumeris nunc vos fortuna fatigat
Imperijs, quæ nam tolerari funera possunt,
Quæ fingi graniora? nec vnquam amissa dabuntur
Otia, nec vnqnam amissi reddentur honores,
Hanc nisi quam tristi pestem seruatis in urna
Ferro excindatis, simulata ut funera ueris
Permutet, multoque luat, cum sanguine pęnas.
Tu pater indigetum, qui torques omnia certo
Numines, tu præsens uera hęc quęcumque monemus
Fulminibus testare tuis; nunc nubibus ignem
Excute, nunc auras flammantis diuide telo.

Pop. Vrimur infelix uulgus; uolat ocyor Euro
Flamma rapax; heù siste faces pater optime tantas.

Ioan. Parcimus. absistant flammæ, & misereſcimus ultrò?
Si tandem scelus antiquum, ueteremque furorem
Oderitis, ueniam dabit idem Rector Olympi,
Quem uos effuso temeratis sanguine Nati;
Illum ego funesto uidi sub colle trahentem
Difficiles obitus, indigno uulnere uidi
Transadigi latus, & lacerari cuspide palmas,
Immeritosque pedes. O nunquam audita Parentum
Vestrorum rabies, & inexaturabile pectus,
Quod non relligio, aut pietas innoxia morum,
Non monitus, non tot rerum miracula, non hæc

Quam

Quam memoro, in cęde, ac probris patientia fregit;
Sed uos, ò Diuùm ſoboles, meliora ſecuti
Conſilia, atque animos maiorum facta piate:
Ergo agite, & Chriſto nobiſcum thuris honorem
Soluite, & euerſos dudum crudelibus armis
Inſtaurate focos. *Pop.* Sequimur quocumque uocabis.

Saleph, Antixpi, Zorobabel, & apparitores Antixpi.

Sal. TErtia iam terris roſeas Aurora quadrigas
Extulit, haud quamq̃ promiſſa morabitur Heros
Longiùs, hic nixi genibus fundamus ab imo
Corde preces, dextra tędas, & ſacra gerentes
Lumina: ſed tremuit conuulſa mole ſepulchrum,
Excuſſuſque lapis tumuli, qui clauſa tegebat
Oſtia; proh' Solymi Cives, huc uertite greſſum,
Integer emicuit tumulo, uexilla coruſcat
Fulminea, & toto ſpirat de corpore Numen.
Ant. En tandem, ò ſocij, rurſum datur ora tueri,
Et conferre manus, & amicas iungere uoces,
Non iam qualis eram redeo, mortalia ſupra
Fata, uiceſque ſupra eſt; retuli quòd corpus ab vrna,
Nec mora longa mihi in terris, uocat altus in arces
Æthereas Pater: intereà vos gaudia mecum
Ducite, lętitię pars huius maxima veſtra eſt.
Sal. O quàm gratus ades! quàm te modò pectore lęto
Accipimus reducem! tantos abolere triumphos
Quæ poterit longęua dies? populuſque, Patreſque
Ingeminant plauſum. Vnum eſt quod pectora turbat
Sancte Pater, triſtique premit ſolatia luctu:
Tres dudum ſtyx atra viros (vt credere fas eſt)
Edidit in lucem, nulli ante hęc tempora viſos,
Hi marora tuis, Hebręę numina plebi
Euulgant, diro ſcelere, & fallacibus auſis
Incuſant tua facta, foros euerſaque templa
Chriſtigenis reparant. *Ant.* Armatam coge cohortem
Zorobabel, atq; in triuijs, totamque per Vrbem

Quęſitos

Quæsitos hùc sistè viros. *Zor.* celer hùc tibi vinctos
Continuò rapiam. *Ant.* Vos istam mittite curam;
His ego quid uires, & quid mea dextera possit
Ostendam: interea arguto seù pectine carmen
Dicite, seù circum festas agitate Choreas.

Hymnus Procerum Antichristi.

HEbræa sonit compitaletos,
Incita plausu littora festos
Referant cantus, reddidit Orbi
Reducem lux hæc tertia Regem,
Non is lapidis pondere pressus,
Non is tumuli lege cœrcitus,
Non Eumenidum territus armis,
Gelida victor surgit ab urna;
Quis se tantis viribus audeat
Iactare parem! quis sua fingat
Nostro æqualia Numina Regi!
Deus hic toto summus in Orbe est.

Zorobabel, Antichristus, Helias, Enoch, Io: Euangelista, Caynan Præco.

Zor. EN tibi, Rex inuicte uiros ante ostia templi
Deprehensos, magna plebis, patrumque corona,
Ant. Tanta ne uestratum uobis fiducia rerum est!
Vos ne mea infensis, & facta, & nomina dictis
Carpere, vos Vrbem tanto miscere tumultu
Audetis! Vos arte noua mutabile uulgus
Pellicere! *Hel.* haudquamquam moliri talia mens est,
Quam tu ipse intuleris, potiùs, depellere pestem
Venimus. *Ant.* His credo promissis pectora uulgi
Mulcetis, sic, & laudem captatis, & aurum.
En. Ista quidem tua sint, his tu lætare repertis,
Nos victu exiguo, & rudibus per membra lacernis
Contentos, non hęc vexat malè sana cupido;

Iesum

IESVM nos potiùs terrę, Cęlique potentem
Quęrimus, huic laudes canimus, Solymaſque per Vrbes
Illius ęthereas leges, ac iura tuemur.

Ant. Gratulor, hunc equidem uobis placuiſſe magiſtrum,
Non uos degeneres, ueſtræ nec principe gentis
Eſſe ſinam indignos, eadem fortuna, lueſque
Stat uobis, eademque manent ſuſpendia trunci.

Hel. An ſors, an fatum nobis optatius ullum,
Quàm veneranda ſacri contingere brachia trunci?
In quo Rex hominum, & noſtrę ſpes fida ſalutis
Nos ſcelernm exemit uinclis, & Tartara fregit.

Ant. Exoluit nè alios! domuit quem ſtipite vinctum
Tortor, & inuitum! qualem, proh! Numina! Chriſtum
Fingitis, imbellem, lacerum, ſine uiribus ullis,
Conſilijq; inopem! *En* Quàm rectè oracula Vatum
Nota tibi! quęnam monimenta, ac dicta priorum,
Non his plena malis? non Chriſto tota vetuſtas
Pauperiem, cladem, cędemq; ac uincla minatur?

Ioan. Inuitum domuit tortor? cui talia iactas;
Cui mentiris? habes qui te, & tua dicta refellat:
Ipſe ego tunc aderam, præſens ipſe omnia certis
Hauſi oculis, potuit tantos adijſſe labores
Inuitus! quem non Solyma reuocauit ab Vrbe
Ex ſocijs ullus in funera certa luentem
Quem nobis toties cędis, loca, tempora, mortem,
Carnificumque genus memini prędicere, & illum
Quo verſante dolos, ſcelerato proditus hoſti
Voce ſua, quoties armatos fudit inermis.

Ant. Si fuit ille Deus non cęde, aut ſanguine fuſo
Indiguit, nutu, aut dextra fregiſſet Auernum,
Ereptoſque homines Celi in ſupera alta tuliſſet.

Hel. Æquo iure Deus, quàm dextra, aut uiribus uti
Maluit, id melius: neque lex Diuina ferebat
Tot ſcelerata hominum ſine pœnis facta piari,
Pignora ſic noſtrę multò maiora ſalutis
Attulit, & magnum erga homines teſtatus amores.

Ant. Vana canis, feſti potiùs temerata diei
Relligio,

Relligio, his illum pœnis, ac funere mersit.
En. An uetuisse Deum festis bene facta diebus
Stulte putas? fas est pecudem seruare cadentem,
Non hominem! quod si meritas pro crimine pœnas
Ille dedit, cur hanc cœdem non passus inultam
Omnipotens Deus? infandis cur stragibus Vrbem
Diripuit? *Ant.* Non latronis turpissima cœdes
Excidio fuit, at uires, & dextera gentis
Romuleæ. *En.* Cur non fessę Deus adfuit Vrbi?
Ille suos nunquam uersari hostilibus armis,
Exitijsque tulit, magno nisi crimine lęsus,
Hebręos primum impietas fraterna subegit,
Exiliumque pati, & Pharias descendere in oras.
Aureus in syluis uitulus, quot funera iusto
Ense dedit, nemore in uasto tunc tertia clades
Ingruit, ex Syris hausto pro sanguine Vatum,
Quarta lues hæc est, qua non immanior unquam
Vlla fuit, non hęc equidem sine Numine Diuùm.
Ant. Hoc ipsum excidium illius mendacia damnat,
Concussamque fidem, templi reparare ruinam
Spondebat, quæ uos iterum delubra uidetis
Surgere? *Hel.* Post triduum sospes sua membra recepit,
Hęc etenim delubra sibi instauranda canebat,
Non ex cęmentis, aut secto marmore molem.
Ant. Anne hęc in triuijs narras? non ille reuixit
A Patre, qui moriens dura se in morte relictum
Clamabat? *En.* Rectè est; Pater illum nostra luentem
Crimina deseruit; lacero sed corpore postquam
Expendit scelerum pœnas, & fœdere certo
Humanis supera, & terras coniunxit Olympo,
Dignus honos illi stabat, mansuraque uitę
Præmia. *Ioan.* quin etiam lueret dum funera cędis,
Non illum penitùs Pater alto à culmine Cœli
Deseruit, subitos rapuit caligine Solem,
Emisit tumulis cineres, terramque labantem
Excussit, scidit, & magni sacra lyntea templi,
Prodigijsque alijs miseranda in morte dolorem
Testatus,

Testatus, tandem uitæ ad meliora uocauit
Munera, quem sęuo lacerandum liquerat hosti.
Ant. Si uitę incolumis, Supero si redditus Orbi,
Cur non, & populis rediuiuo in corpore uisus?
Cur non spectandum cunctis se prębuit oris?
Sic facto manifesta fides, ac fama perennis
Accessura fuit. *Hel.* non hęc spectacula uulgo
Prębenda, aut totum fuerant uulganda per Orbem,
Staret certa fides, meritæ sed munere laudis,
Et pretio caritura fuit, non corpore corpus
Viderunt Solymi? at si mens non læua fuisset,
Numina uiuentis poterant agnoscere Christi;
Vertice de Cæli sese dabat ille videndum,
Cum resides animos, & inertia corda suorum
Egit in aduersos firmato pectore Reges;
Quis populos, domitumque unius uiribus Orbem
Supposuit? cui Roma caput, sedemque uerendam
Imperij, & Latio deuictas milite Turres
Submisit? quid tot referam miracula rerum,
Edita per populos, per templa, ac strata viarum?
Ant. Non equidem inuideo: longè melioribus ausis
Insignis fortuna mea est: si prælia narras,
Si domitas Vrbes, quæ gens tàm barbara uires
Non experta meas? memoras si sparsa per Vrbem
Prodigia, hæc sedes, hæc templa, hæc compita circum
Prodigijs sunt plena meis. *Hel.* Tu mœnia ferro
Deijcis, agminibusque aduersa agmina fundis,
Et telis in tela ruis, verùm ille nec armis
Arma, nec infensas infenso milite Turres
Insequitur, populos, & Reges ductor inermis
Edomuit. Sed adhuc potuisti fingere demens
Prodigia? hæc nobis, cur non spectantibus audes?
Ant. Nil moror: hùc hominē exanimē, pheretroq, iacentem
Sistite, quæ mea sint videatis Numina faxo:
Quisquis es ò Iuuenis loculo miserabile corpus
Tolle celer. *Hel.* Decumbit adhuc, maiore uocandus
Voce fuit. *Ant.* non dum clamantis Numine Christi
Membra

Membra leuas quicumq; iaces? caput erige tandem;
Et uires testare meas. *Hel.* hùc lumina Ciues,
Hùc oculos. iam fas simulatum agnoscere Numen,
Iam patuere doli. *Ant.* Vos immedicabile uulnus
Eumenidum, vos ò stygij portenta Tyranni
Arcetis, magico redeuntem carmine vitam,
Mon impune quidem. vestro commissa luetis
Sanguine: Gamaliel iugulos, & colla securi
Percute, dediscant rapta ceruice furorem.
Hel. Nil agis, hæc nobis requies, hæc tempora longo
Exoptata quies: sed non moriemur inulti;
Nec te longa manent sceleratę gaudia uitæ,
Ense miser grauiore cades. *Ant.* pertrudite terga
Verberibus, lacerate genas, impellite palmis;
Comprimite os rabidum, capulis urgete morantes.

Hymnus Enoch, Heliæ, & Ioannis flexis genibus antequam decapitarentur.

Qvas tibi laudes meritas canemus,
Magne terrarum, pelagique Rector,
Qui iubes nostræ diuturna vitæ
Vincula solui.
Iam diem profers toties vocatam,
Et modum longo statuis laboris,
Iam tuis nostros iugulos securi
Immolat arts.
Tu Pater Diùum, tibi quas sacramus
Victimas nostro madidas cruore
Accipe, & fessos refer in perennis
Otia Regni.

Cayn. Audite, ò Solymi Ciues, non audeat ullus
Corpora cęsa virùm medijs de sedibus Vrbis
Tollere, sed rapidis iaceant inhumata ferarum
Morsibus, id summus domiti Rex imperat Orbis.

Chorus

CHORVS SYBILLARVM.

FVsus en Vatum cruor, & recisa
Sacra, non ullo miserante, ceruix,
Plebis en lusus iacet, & volucrum
Præda cadauer.
Cur Deus tantum licuit Tyranno?
Cur datum ferro lacerare Diuos?
Magne quid rerum Pater in tuorum
Funere cessas?
Plura sed posthac minimè licebunt
Sontibus, tedet furor impiorum
Victus, & ponet malè vindicatus
Orbis habenas.
Iam satis longo rabies nocentum,
In mare, & terras dominatur euo,
Nunc Deus fontes Erebo cèreens
Sceptra reposcit.
Ipse qui ferro temerauit aras,
Cæde qui Diuùm scelerauit enses,
Cælitum longè meliore dextra
Concidet ictus.
Orbis insontes, scelerumque pœnas
Mugiet, fundens vlulabit imis
Sedibus, Ponti fragor, & rubescent
Sanguine fontes.
Frugibus raptis viduabit Eurus
Arua, nutabit tremefacta tellus,
Decident colles, validæ fatiscent
Grandine syluæ.
Horridus crebris facibus tonabit,
Et dabit nimbos pluuiosus aër,
Atra nox Cælum, rapidosque Cæli
Occulet ignes.
Atruent ignes alij per Orbem,
Raptaq; effusis elementa flammis
Concident, has has meruere clades
Facta nocentum.

FINIS SECVNDI ACTVS.

Dichiaratione del Terzo Atto.

NEl Terzo Atto brauando l'Antichristo, e volendo far battere i corpi di quelli trè Santi per satiar la sua crudeltà, ecoo che resuscitaranno, & in prèsenza di tutto il popolo ascenderanno in Cielo: che però spauentata la gente dell'Antichristo, se ne fuggirà, ma esso la farà ritornare, promettendoli di volere ascendere in Cielo a seguitarli, e fargli precipitar nella terra; e volendosi leuare in alto, verrà vn' Angelo dal Cielo, che con vna gran lancia l'occiderà. Per questo i Giudei auuedendosi del loro errore, si conuertiranno alla fede di Christo, buttãdo via l insegne del Giudaismo, e prostrandosi a' piedi d'vn Crocifisso, che apparirà, metteranno il corpo dell'Antichristo sù d' vna fossa, e poi sarà strascinato all'Inferno da' Demonij Christo Sig. nostro volendo dar fine al Mondo, darà quelli terribili segni della sua venuta predetti nell' Apoc. principalmente, usciranno sett' Angeli con sette fiale, ò carrafe

piene dell'ira, e sdegno di Dio contro il Mondo euacuate, che saranno, usciranno sopra la terra peste, fame, battaglie, grandini, tempeste, folgori, e terremoti, si faranno anco rosse l'acque del mare, delli fiumi, e delle fontane. I peccatori stando ostinati, biastemmeranno Iddio, mangiandosi le proprie carni, e come si dice nell' Apoc. caderanno le stelle, si farà rossa la Luna, s'oscurerà il Sole, comparirà nell'aria quella gran Meretrice, che vide S. Gio: la quale significa la grandezza del Mondo, portando nelle mani vna gran tazza d'oro, cõ la quale và imbriacando il Mondo. Ma perche all hora sarà il fine di quello, vn' Angelo la taglierà a pezzi a pezzi, e la darà in preda a' Demonij. Si vedrà nel Cielo vn' Angelo con vna falce mieter la vita degl' huomini. Michele fermerà il moto, e corso delle sfere celesti, e mandando gran fuoco con tutti gl' Angeli abbruggiarà tutt'il Mondo, & in questo moriranno tutti gl' huomini. E quì finisce il Terzo Atto: con vn choro d'Angioli, ch'addolorati compassioneranno il misero stato de' mortali.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

Antichristus, Gamaliel, Eleazarus Pontifex Iudæorum, Michael.

Ant. ERGO sustulimus stygiam spirantia tabem
Mōstra uirū, miserę q; infāda excu mus Vrbi
Seuitia, ad nostras tandem cecidere secures
Indociles iuga ferre animi, nō pectora ferro
Fracta tument, nullos uersant præcordia fastus:
Nunc etiam cineri iuuat insultare; caputque
Loris impetere, & repetitis tundere flagris.
Tu dextram sudibus, crudauè accinctus habena,
Sparsum, Gamaliel, elide in saxa cerebrum.

Gam. Verbere, sed primo (mirum) tremit excita tellus,
Attollunt capita exanimes, dorsoque lacernas
Reijciunt, circum candenti nube coruscant,
Et Cęli in supera alta uolant: quas ęthere ab alto
Deuoluent in tecta faces! quæ funera nimbis
Perque domos, perq; arua dabunt! spes nulla salutis:
Præcipitate fugam, specubusq; incluſa ferarum
Funestis capita, ò socij, subducite fatis.

Hymnus Enoch, Heliæ, & Ioannis ascendentium in Cęlum.

A D te perenne gaudium,
Rerumque summus artifex
Cursum per auras tendimus
Leu trophæis hostium,
En fracta tortorum manus,
Pallet Tyrannus impotens.
Detrectat arma Carnifex
Fusi per arua milites.

Antichriſtus, Michael, Eleazarus.

Ant. QVò ruitis? quò terga metus palantia uertit?
Quos fugitis? cęſos ne uiros, ueſtraq; peremptos
Cuſpide? quid? potius ueſtris terroribus acti
Diffugiunt illi, & caput inter nubila condunt:
State uiri, fretoſnè ſuis petere alta putatis
Viribus, & ſeſe celeres agitare uolatu:
Haudquamquam, Eumenidũ nixu in ſublime feruntur;
Nequicquam petiere fugam; liquidumque per Orbem
Inſuetas iniere uias, ipſe ęthera totum
Luſtrabo: Vos ipſe leuis per nubila Cęli
Inſequar, aſtra etiam tranabo, & fulmine raptos
Excutiam in terras, iuuat hunc conſcendere montem,
O ſocij, ferar hinc tenues ſublimis in auras.

Mich. Quò demens iter infauſtum, quò tendere curſum
Monſtrum immane paras? non ſunt, non debita factis
Aſtra tuis, non hos curſus tentare neceſſe eſt;
Iam telum fatale uides, haſtamque minantem,
Infando capiti exitium: nunc contrahe quicquid,
Siuè animis, ſiuè arte uales, non uiribus ullis
Eripiere mihi. *Ant.* merui: atq; hæc funera demens
Non indigna luam; tu noſtram, ſi qua poteſtas
Parcendi, miſerare uices. *Mich.* Iſtam exue mentem;
Vltima ſtat tibi ſors, & ineu tabile fatum,
Iam quem Chriſtigenum ſparſiſti ſanguine montem,
Hũc mentire iacens? *Eleaz.* Laceras abrumpite ueſtes,
O' Hebræa cohors; temerati Numinis iras
Agnoſco, quàm longa animos dementia noſtros
Deluſit! quàm nos cęcis erroribus acti
Per noctem, ac tenebras tàm multos duximus annos!
Ille equidem (nec me diuina oracula fallunt)
Relligione potens, & claro Numine IESVS
Chriſtus erat, quem uera Dei præcepta ferentem
Noſtra dedit letho fatorum ignara uetuſtas;
Hoc modò Thesbitęs, hoc nobis conſcius Enoch
Rettu-

Rettulerant, hoc, & profuso sanguine dudum
Testati; quę nos malè sanos egit Erynnis
Hanc rabidam pestem templis adscire, fociſque.
Tollite uiperam pestem, & lethale cadauer,
Alitibus prædam gemino suffigite trunco.
At nos intereà fusi per templa, per aras,
Carmine placemus Superos, ueniamque precemur.

Hymnus Iudæorum conuersorum.

Parce qui Cęli moderaris arces,
Parce, nec dignis quatias nocentes
Claudibus, iustas pietas rogamus
Lenias iras.
Aspice ante aras Populum ruentem,
Aspice effusas laceris Puellas
Crinibus, uinci patiare tandem
Supplice uulgo.
Id rogant mœsto gemitu Parentes,
A' quibus nostri generis propago est,
Sancta maiorum pietas nepotum
Crimine soluat.
Tu Patris summi ueneranda proles,
Immemor tandem Solymi furoris,
Parce, & antiquæ redeant precamur
Fœdera pacis.
Nostra te ferro temerauit audax
Dextra, tu nostrum facinus piabas,
Tollat Hebræus scelus ille manens
Ex Cruce Sanguis.

Christus iratus in gloria, septem Angeli cũ phialis.

Xpus. VSque adeò humanas agitat uesania mentes,
Vt nostris post terga focis, arisque relictis
Palantes abeant, diuersaque Numina fingant
Quisque suum? men' men' ausi depellere templis?

Men'. lacerare probris, Regnisque illudere nostris?
Ferrea non possunt miteſcere pectora donis,
Non prece, non monitis, sed adhuc, furor impius hæret
Mentibus, & cęcę gliscit uiolentia plebi:
Audendum ferro est, & quos nec dona, nec altus
Vicit amor, uincant effusis cladibus irę.
Vos mihi Cęlicolę supremo ex ordine septem,
Horrendos totidem phialis armate lacertos,
Et nostrum in maria, & Cęlum, terrasque furorem
Spargite. Vos populis quicquid feritatis ubique est
Mittite, uos totis in uulnera uiribus ite.

Melchiel Angelus primus, Gad cum populo.

Mel. PAremus. Nunc ò socij, torquete per auras
Vltrices phialas: miscere ego funera primus
Audeo. *Gad.* Quid crepuere tubę, quis tantus ab alto
Dissultat fragor! *Mel.* quotquot coluistis Numina pestis
Gorgoneæ, ò geritis quicumque infignia monstri,
Vobis hanc phialam quatio, uos hæc mea clades
Opprimet, exustis serpat sitis ignea uenis,
Arescat iecur, & circum præcordia sanguis
Æstuet, atque imas populetur flamma medullas.
Gad. Heù, heù quis, nostris tacitum calor implicat ignem
Ossibus! heù pectus flammanti incanduit æstu,
Tubera prorumpunt membris, & corpora tabo
Exuperante tument, cursum rapiamus in undas
Æquoreas, gelidoque ardentia corpora Ponto
Mergamus.

Ialel secundus, Sephron cum populo.

Iubeo fluctus, undęque rubescant,
Purpureusque cruor latum se fundat in æquor.
Iactati pisces media moriantur arena,
Horrisonos tollat fremitus, & murmure sęuo
Mugiat unda maris, uoluatque ad sidera fluctus.

Sep. Non

Sep. Non hæc tuta fuga est, pelagus de sedibus imis
Conuulsum resonat, fugiendum ad flumina Ciues,

Iessiel tertius, Arod cum populo.

Ies. NVnc ò terrarum Domini, Regesque luendum
Quicqd sq̃uitũ in populos, & corpora Diuùm est:
Hęc uobis phiala inficiat pro cęde piorum
Puniceos amnes, & sparsos sanguine crines
Arod. Heù miseris, quonam fluuij rubuere ueneno!
Vnde cruor limphis! quæ tinxit purpura fontes!
Quas potemus aquas! quo siccis faucibus hęrens
Fonte leuanda sitis! ——————————

Nabaliel quartus, Gad cum populo.

——————————— Qui mundum Inmine comples
Phębe tuo, hanc phialam æstiuo feruore calentem
Accipe, flammescant radijs arentia circum
Arua tuis, iaceantq, ambusta cadauera campis.
Gad. Vrimur. Infelix uulgo funesta incendia Titan;
Heù, heù quis tantos effusis cladibus æstus
Ab'uat Oceanus! nec syluæ, aut montis asylum est
Vllus, arescunt nemora ab radicibus imis,
Arboribusque comæ desunt, & frondibus umbræ.
Crudelem ò Superum rabiem, ac immitia corda,
Cur non arcetis radios, Phœbique furentis
Lumina? candentes cur non defenditis agros?
Quod si non aliud liceat, nec sæua mouentur
Numina, iactato turpemus puluere Solem.

Israel quintus, Sephron cum populo.

Isr. HÆc phiala in solium, quod dira insedit Auerni
Bella, missa ruat, fumoque, & nubibus auras
Occupet. *Seph.* Heù quantus piceus uapor æèra turbat,
Tolluntur nebulę è stagnis, & nubila mittit

Nigra palus. Hæc tu Galilęe immittis in Orbem
Funera: sed quæcumque uelis circumq; supraq;
Sęuieris, rapido discerpere brachia morsu,
Malumus, & lacerare genas, quàm reddere templis
Thura tuis: neq icquam his nos terroribus urges.

Camuel sextus, Arod cum populo.

Cam. HÆc phiala Euphratis tumidas exhauriat undas,
Per uada iurati cò èant in prælia Reges,
Morte fremant populi, spumantique Orbis inundet
sanguine, nec capiant effusa cadauera campi.

Arod. Erupere acies, proh' quæ certamina miscent!
Æra micant, resonant clypei, furit ensis in hostem,
Nec mora, nec requies in mutua uulnera ferro est.

Bannhiel Angelus septimus, Gad cum populo.

Ban. VLtimus hanc phialam quatio, Cęlumque procellis
Misceo, pręcipitent commixta grandine nimbi,
Subsidunt montes, tellus exterrita colles
Decutiat, ruptæ iaculentur fulmina nubes.

Gad. Ad terram ruite, ò socij, terramq; trementes
Immota prensate manu, iuga summa moueri,
Æquarique solo colles, & tecta uidetis,
Ingeminant ignes, rapiuntque per àèra cursum
Fulmina, qnod miseris nemus, aut spelæa ferarum
Tuta satis! quid adhuc supereſt! ruit horrida grando:
Qualis non Siculis unquam fuit Æthna caminis
Candentes iaculata globos; ramosque, comasque
Agrorum, nemorumque rapit, quæ tegmina nobis
Sunt reliqua! umbones clypeorum, ac scuta lacertis
Erigite, & peltas uenienti obtendite nimbo;
Ne quicquam Galileæ furis: si corpora fundis
Non animos.

Eleazarus Pontifex Iudæorum.

Rabidis socij ne talia linguis

Audete

Audete in Superos, quem diro inceſſitis ore
Chriſti Numen habet: non ipſa hæc funera Chriſtum
Eſſe probant? non ille aliter tot cladibus Vrbes
Verteret: his certè fatalem nunciat Orbis
Interitum, monet, & lacrymis commiſſa piemus.

Cocles puer, Delia mater, Arod vir popularis, Phedael Angelus.

Coc. O Quàm dira fames: præbe hientacula Mater,
Frigida membra labant; Nato ſuccurre cadenti
Del. Grandine decuſſæ fruges, populatus ariſtas
Nimbus, uipereo turpati ſanguine fontes,
Lapſa domus; plena exitijs, plena omnia luctu;
Quam tibi mater opem tantis concuſſa periclis
Nate ferat! quò ſe uertat! quæ Numina demens
Imploret! ſi nate iuuat populare Parentis
Membra tuæ; & noſtras diſcerpe in fercula carnes.
Arod. Sed quænam medium proceſſit in æra Virgo,
Monſtri terga premens, & uertens frena lacerto,
Auro intertextam, atque ardentem murice Pallam
Pulchra gerit, micat, & niueos diſtincta pyropis
Articulos, dextra gemmis, auroq; rigentem
Craterem verſat, quo cunctis pocula miſcet,
Ingens ſub pedibus uortex decurrit aquarum,
Cælicolumque unus iugulos circumrotat enſem.
Phed. Hæc auri, hæc Veneris, regnandi hæc ſæua Cupido,
Hæc humana lues, ſcelerumq; hæc fæda uorago,
Hæc Iuuenum mentes blanda dulcedine captat;
Delitijs animos, emollit corpora luxu,
Delitijs inhiat, quæſitoque incubat auro;
O' monſtrum infelix, quantum tibi iuris in orbe eſt!
Quàm latè tua ſceptra patent! quàm multa ueneno
Regna tuo madefacta ruunt! quot cædibus Vrbes
Euertis! Tu magna Ducum, tu nomina Regum,
Tu plebem indocilem celeri ſub tartara fato
Præcipitas, tu clade pios, & funere uerſas

Non furere ulteriùs dabitur tibi lurida peſtis,
Iam longo ſatis in populos dominaris ab æuo,
Hac tibi ſumma dies nunc enſe, & uulnere noſtro
Icta cades; Ruit en Babylon! Vos monſtra Barathri,
Hanc rapidam curſu prædam uectate ſub umbras.

Dæmones furentes abripientes beſtiam.

Multis ab annis hanc prædam exoptauimus,
Nunc tandem ſpolijs fruimur his meretricijs.

Ariel Angelus, Phinees cum populo.

Ari. SIdera, quæ vario ſtellantem pingitis Orbem
Lumine, non ultrà fulgere ex ſedibus altis
Fas erit, aut terras agitare, elementaq; ueſtris
Viribus, è Cæli celſa Regione cadendum eſt.
Tuque etiam decus aſtrorum, tu noctis opacæ
Arbiter, umbrarumq; potens, ferali ſanguine uultus
Infice, Luna, tuos. Tuque ò uenerabile ſidus,
Cui menſes, annique uices, cui ſæcula currunt,
Contrahe Phœbe comas, quibus aureus omnia luſtras
Hac tibi meta uiæ: feſſas iam ſolue quadrigas.
Phin. O noctem ſubitam, ò ſtygiæ primordia noctis,
Hæc rerum ſuprema quies! huc tempora ſiſtent!
Nos nos tam vario rerum natura tumultu
Deplorat; noſtraſque uices, & funera deflet!
O ſocij, magnum tellus excuſſa dolorem
Teſtatur; refluis plangoribus æquora lugent:
Ingeminat rapidos Æther pro fletibus imbres:
Sol etiam noſtras non paſſus cernere clades,
Inuoluit nitidos atra ferrugine currus:
Aſtra ruunt: elementa gemunt: nunc ultima rerum
Eluuies; Mundi moles tentata fatiſcit:
Heù paſſas lacerate comas, & pectora matres,
Heù, pueri plorent, heù prono corpore fuſi
Rumpamus querulos caſto de pectore luctus.

Michael,

Michael, Sephron populoris.

Mic. O qui fulmineam uersas ex Æthere falcem,
Non iam maturas æstiuo tempore messes
Aspicis? & grauido curuatas palmite uites?
Eia adhibe circum falcem, flauentibus agris,
Et tempestiuas incumbens demete fruges.
Et uos, ò socij, flammarum quicquid ubique,
Seu Silicum in uenis lateant, seu per caua currant
Nubila, seu glisçant montani ex Sulphuris igne,
Huc legite, & toti iactate incendia Mundo:
Ipse celer sistam firmato cardine Cælum.
Orbes qui rapidum per longa uolumina tempus
Ducitis: hic uolucres motus; hic ponite cursum:
Hæc suprema quies uobis; hæc meta laborum.
Nunc nunc ò socij torquete ex nubibus ignem,
Nunc mare, nunc tellus, rutilusq; incandeat æther.
Seph. Diffugite, ò miseri, in latebras, cælum omne coruscat,
Heù, heu, nulla fuga est, collucent omnia flammis.

Chorus Angelorum.

Tragico tecti Syrmate Celites,
Hominum generi damus inferias,
Fataque populis vltima passis
Canimus trisli carmine nenias:
Hæc loca quondam pinguia frugibus,
Gelida circum frondæ uirebant,
Vernabat humus candida lilijs
Spirante per hæc aura Fauonio:
Hic belligeras alta per Vrbes
Steterant altis mœnia pinnis,
Hic sparsa crocis atria Regum,
Mollesque toris mollibus aulæ.
At præcipiti turbine rerum
Ambusta iacent omnia flammis,

Luridus

Luridus agros fumus obumbrat,
Cinereſque Ducum turribus incubant:
Viduata gemunt arua colonis,
Telluſque ſuos plorat alumnos,
Hominum queſtus funera Tytan
Caput horrenti condidit umbra,
Heù gens hominum cognata Deo,
Et præſidijs credita noſtris,
Heù quàm ſubitis cladibus occidit,
Et fuſa dedit corpora campis.
Nullus ſupereſt incola terræ,
Sibi qui vacuas arroget arces,
Quique relictas occupet Vrbes
Ex innumera gentes ſuperſtes:
Nullus adeſt, qui ſparſa legat.
Condatq; pius membra ſepulchris,
Genuit populos, eoluitque dies
Non vna, dies vna peremit.
Iſta ſit vtinam ſumma laborum,
Nec mors iterum ſeuior inſtet;
Sed quæ peperit mors vna luem
Altera longo nutriet æuo.

FINIS TERTII ACTVS.

Dichiaratione del Quarto Atto

NEl *Quarto Atto comparirà nella gloria il vecchio Adamo pregando Christo Signor nostro, che si come con la morte, e passione sua rimediò à tutte le miserie, che il suo peccato haueua causato, così anco discacciasse la morte introdotta per il medesimo peccato resuscitando gli huomini, che per il fuoco haueua fatto bruggiare. Christo manderà quattr' Angeli per le quattro parti del Mondo cõ quattro Trombe a chiamar'i morti alla vita.* Surgite mortui, & venite ad Iudicium. *Vsciranno dalli sepolchri l'ossa, e le ceneri, le quali dopò saranno raccolte, e poste in ordine dagli Angioli per resuscitare. Michele manderà quattro Angeli a chiamar l'anime dalli sepolchri loro per riunirsi con i corpi; l'vno chiamerà l'anime dell'Inferno, il secondo del Limbo, il terzo del Purgatorio, il quarto del Paradiso, e venendo*

l'anime

l'anime dell'Inferno verſo i ſepolchri, domandaranno il modo come ſarà poſſibile queſta reſurrettione, eſſendo che i corpi d'alcuni furono bruggiati, altri deuorati da beſtie, e parte ingoiati da' peſci, & in particolare ſi marauiglierà Ariſtotele, dicendo che non trouò mai tal coſa nella ſua Filoſofia, ma l'Angelo li ſodisfarrà. Entrate che ſaranno l'anime ne' loro ſepolchri, e cõgiunte con i corpi, al ſuono della Tromba di Michele tutti reſuſciteranno, egli Angeli ſepareranno i buoni da' cattiui, mettendo quelli alla parte deſtra, queſti alla ſiniſtra, nel che ſarà vn grandiſſimo pianto ſeparandoſi Padre, e Madre da' loro figliuoli, & amici trà di loro. Et in queſto finiſce il Quarto Atto, con vn choro d'anime dannate piangendo la lor miſeria, e dannatione.

ACTVS QVARTVS

ADAM, CHRISTVS.

Ad. O SPES fida hominum,& melioris conditor aui
Chriſte;tibi laudes,quęcũq; in ſacula dicam,
Quòd populis inuiſa meæ contagia culpæ
Abſtuleris,ſoboléq;meã,innumeroſq;nepotes
Ignibus ereptos, cæleſti adſciueris Vrbi:
Tu quamcumque luem terris mea fata tulerunt,
Eximis, & dextra reficis meliore ruinas,
Meque, meoſque olim lignum fatale peremit,
Inſtauras alio tu felix omnia ligno;
Quaſque mihi raptas male victrix arbor habebat
Exuuias, alia repetitas arbore reddis:
Ipſe ſeras, duroſque in Cæli limine uectes
Oppoſui, clauſique meis Superi oſtia Regni;
Aſperſas aperis ſacro tu ſanguine portas:
Ipſe meis iter indignum molitus in umbras,
Orbemque, & miſeras adigebam in Tartara gentes:
Tu contra ſpolijs Erebi lugentis onuſtus,
Obſtruis infernas obiecto corpore fauces:
Sunt alia innumeris, & quæ non omnia ſæclis
Enumerem. Sed adhuc tanta inter gaudia (fari,
Si licet) vna meis deſunt ſolatia fatis:
Noſtra lues non tantum animis, ac mentibus hæret,
Sed miſeros effuſa etiam per corporis artus,
Hinc morborum acies, & hyems, & triſtis egeſtas,
Hinc ſitis, hinc obſcęna fames, hinc frigora terris
Incubuere, gradumque ſibi mors improba fecit.
Hanc etiam precor, Indigetum Rex, aſpice partem,
Vtque animos, ſic membra leua; mors atra ſagittas
Ponat, & in ueterem tollant ſe corpora uitam.
Chr. Non hæc uota Parens hominum,ſint irrita faxo,
Ipſa dies etiam iam iam me muneris huius

Admonet.

Admonet. Huc ex Cælicolis mihi quattuor absint.
Tu Çeler Auroram lituis, & Solis Eoi
Regna quate; Hesperios contrà tua buccina fines
Terreat; Arctoum in Boream tu classica uerte:
Tu demum arentem Lybien, Austrique recessus
Concute, quò uestris tremefactæ cornibus urnæ
Relliquias cinerum, & pallentia corpora reddant,
Tu Michael, horrentem arcu pharetraq; sonantem
Mortem inuade manu, uinctamq; in Tartara merge;
Quin, & pauperiem, & morbos, maciemq; famemque,
Cunctaque mortalis uitæ rape monstra sub umbras.

Michael, Ialel, Israel, Camuel, Ariel, Phedael, Angeli ad quatuor Mundi partes.

Mic. NOn secus ac iussi facimus. Nunc tortile cornu,
Horrificasq; inflate tubas per Regna, per Vrbes
Quisque suas, primus Nabatheus currat in Orbem.

Ialel Angelus ad Orientem.

SVrgite funereis exanguis, turba sepulchris
Surgite, marmorei lapides tollantur ab urnis,
Surgite, nunc cineres ueniant in luminis auras

Israel ad Occidentem.

SVrgite uitæ lumine cassi,
Pressaque tumulis tollite capita,
Concussa nouo clangore tubæ,
Terra dehiscat uespere ab ultimo.

Gamuel ad Aquilonem.

SVrgite, ò quosquos Libythina mersit
Æquore, aut cęcis cohibet sub antris,
Soluit aut duro glacialis Vrsæ
Frigore membra.

Ariel

Aricl ad Austrum.

EXcusso tumuli puluere surgite,
O' quos vel rabies Martia perdidit,
Vel mors vipereo uulnere sustulit,
Vel quos implicuit Syrtibus Africus.
Mc. NVnc legite, ô socij, cineres, atq; ossa per Orbem,
Quæ tumuli uomuere, suo seù gurgite Pontus
Occulit, aut Zephyri rapuere inhumata per auras,
Quæque latent uolucrum, aut rapidis absorpta ferarum
Visceribus, simul, & iaceant ubicumque locorum
Congerite, ac sparsos firmis compagibus artus
Nectite: nunc uenas uenis, nunc ossibus ossa,
Membra iterum membris, neruos componite neruis.
Vos alij in tumulos animas compellite, seù quas
Orcus habet, seù lustralis quas expiat ignis:
Tu Raphàèl animas uenientum ex æthere Diuùm
Hùc comitare manu torquens insignia palmę
Victricis. *Raph.* Læti, ac celeres mandata subimus.

Phedàèl ad Infernum; Beelzebuch Orci Princeps; ex damnatorum animabus Abyron, Ieroboam, Aristoteles, Clodius, Palinurus nauta, Cyneus Miles.

Phe. EVmenidum Princeps stridenti cardine postes
Pande tuas. *Beel.* nam quis tãtũ clamoribus audet,
Vsque adeonè sibi de nostris arrogat antris!
Phe. Rumpe moras, iam tempus adest, quo lancibus æquis
Omnia facta hominum Dominator penset Olympi;
Laxa Erebi fauces, ruptis fornacibus Orci
Solue tuos, pateatque iter infelicibus umbris,
Ad Superos; quę tanta mora est? ego cuspide ualuas
Disjciã. *An.* heù, heù, heù. *Ab.* Cecidere auulsa barathri
Limina, quò miseri rapimur, cur non datur Orcum

Incolere? aut cur has tenebras, ignemque iubemur
Linquere? non satis ad tantas sunt tartara pœnas?
Malumus hic rapidi flammas Phlegetontis in æuum,
Eumenidumq; pati rabiem, quàm iudicis ora
Aspectare iterum. Liceat, fortissime Princeps,
Has habitare domos, quid enim, nisi dira rogamus
Exitia? & si qua est pietas concedere fas est.

Phe. Vobis non ulla est pietas, clementia nulla;
Hæc quondam patuere satis: nunc omnia contrà
Sœuitiem intentant: Celeres Plutonis ab antro
Ferte gradum; primusque illorum prodeat ordo,
Vera quibus nec Religio, nec cognita uirtus,
Aut etiam temerata dolis, oppressaque ferro est.
Hinc subeant alij, fuerat quibus vna voluptas
Ambire, & titulos, & sceptra, & laudis honores,
Et sibi non alijs, populos, orbemque regebant:
Ex hinc quos clypei, galeæque ad bella iuuabant,
Quique odijs aluere animos, ac sanguine dextras
Fœdarunt: Hinc qui temerè periura uulgo
Iactabant ipsis etiam conuicia Diuis:
Et qui delitijs madidi, luxumque secuti,
Totos in Venerem sonmos, conuiuia, ludos
Consumpsere dies, procedant agmine longo:
Quos gregis, agrorumque fames, aurique cupido,
Et uiolare fidem socijs, & uiuere rapto
Impulit: Exiliat mox cætera turba nocentum.

Ier. O lucem inuisam, ò sceleris loca conscia nostri!
Reddita cur oculis iterum sunt lumina Cœli?
Cur iterum infandis hæc aruа insignia factis
Aspicimus? non, & cæcis latuisse sub antris,
Non & inexhausto torrentes igne caminos
Præstiterat toleraſſe? utinam nos terra dehiscens
Mergat in abruptum, aut rapiat Vulcania tellus,
Nostraque iam totum quæ sunt nulganda per Orbem
Facta tegant. Sed quò tandem properare iubemur?

Phe. In tumulos iter est, hic membra, hic corpora rursus
Accipite, hic uobis cineres aptate receptos.

Arist. Quod

Arif. Quod precor hoc mostri est! noua q̃ miracula narras?
Pallentes animas in pristina membra reuerti
Posse putas? rursus tepefactas sanguine uenas
Accipiam? neruis iterum calida ossa coibunt?
Non hæc tradideram gelidi sub tecta Lycei,
Non unquam hæc didicit, me præcipiente, iuuentus
Irrequieta pedes, spatijsque exercita longis.
Clod. Extructis nos membra rogis, & corpora flammis
Tradidimus, tumulis ambusta cadauera uomer
Dum proscindit humum rapuit, rapuere procellæ,
Et uenti rapuere, quis hæc ex omnibus agris
Colligat, & ueteri reddat mutata figuræ?
Pal. Nos quõdã Auster aqua inuoluens, & naufraga puppis
Obruit, hinc magno cõeuntes agmine pisces
Corpora diripiunt, homines tum piscibus ijsdem
Vescentes auxere quidem sua corpora nostris,
Membrane quæ nobis alij rapuere redibunt?
An deerunt? eadem certe communia multis
Esse negas? *Cyn.* Nos dum ferro decernimus, hostis
Abstulit ense caput, liquitque in littore truncos,
Inuadunt rapidis frendentes dentibus Vrsi,
Nec Coruorum acies, nec rostro Vultur obunco
Defuit, accedunt prærupto ex monte Leones,
Equis erit tandem rapiat qui nostra ferarum
Viscera uisceribus, uariasque immissa sub aluos
Fusta legat? *Phr.* Nè uos insana hęc cura fatiget,
Maxima qui uasti procudit mœnia Mundi,
Qui mediam instabili librauit pondere terram,
Littore qui fluctus cohibet, qui lilia campis,
Quique uices frugum, & Cerealia dona ministrat,
Ille Deus cineres uobis, ille integra reddet
Corpora: Nunc tumulos legio scelerata patentes
Ingredere. *Ier.* Heu q̃tus graui olenti ex corpore pędor,
Quæ membris dira illuuies! quis squalor in ore!
Hęccine nos epulis, hæc molli membra cubili
Fouimus! hæc gemmis, hæc fuluo instrauimus auro!
Turpius haud usquam cœnum, nec fœdius ullum

Portentum ex pelagi, aut terræ se protulit antris:
In quascumque uelis potiùs nos abijce terras,
Quàm subijsse iterum nos hæc informia cogas
Corpora. *Thed.* Nequicquam gemitu iactatis inani
Vota, uel inuitos iussù parere necesse est.

Bannhiel ad Limbum, Amon cum animabus Limbi.

Ban. INfantes, quos cęca domus caligine mersos
Occulit, in Superam ex tenebris procedite lucem.
Am. Haud inuiti equidem iucundum lumen Olympi
Cernimus, atque utinam exiguo q̃ tempore quondam
Hausimus, hoc liceat per sęcula cuncta potiri.
Ban. Det rata uota Deus: Vos vobis lactea membra
Iungite, quæ tumulis mors immatura còercet.

Iesiel ad Purgatorium, Caleph anima Purgatorij cum socijs.

Ies. O' Quos exercent certo pro tempore pœnę,
Concretam donec labem facer eximat ignis,
Hùc reuocate gradum, sęuisque excedite flammis,
Pœnarum satis est, nec iam uestigia culpę
Vlla manent; sed uestra licet repetatis aburna
Corpora. *Cal.* Quas vnquam Rex omnipotentis Olympi,
Pro meritis grates dabimus, laudesque canemus?
Ad nos demittis Superis de fratribus unum
Qui uocet ex flammis, supera qui sistat in aula
Qui temerè abiectos cineres, collapsaque membra,
Instauret, quique in tumulum deducat ouantes,
Adsis, ò pater indigetum, & tua munera firmes.

Raphael ad Paradisum, D. Petrus.

Raph. EN date Cœlicolę plausus, & plectra monete;
En Cœli reserate fores; descendit Olympo
Diuùm

Diuùm ſacra cohors, tumulataq; membra repoſcit,

D.Pe. Saluete, ò ſaeri cineres, ſaluete laboris
Participes, uos grata Deo cecidiſtis ad aram
Victima, uos flammas, glacieinq; & frigora paſſos:
Iam tandem ſocias animas in ſęcula rurſus
Accipite, æternoque iterum uos fędere nobis
Iungite, & in Superi partem ſuccedite Regni.

Mic. Compoſitas membris animas, tumuloſque receptos
Iamdudum tremere aſpicio; nunc clangere fas eſt.
Surgite iam quoſcumque grauis tegit urna receptis
Artubus, ad ſummi Regis properate tribunal,
Non ullum datur effugium, mare, ſidera, tellus,
Vos cohibent medios, diſtrictis enſibus adſunt
Cælicolæ: Hic ſcelera, hìc mores exponite ueſtros,
Hìc uitijs turpes æquato examine uitas
Excutite, hic ſtygijs horrentia corda uenenis
Enomite, hic lauteè quicquid, Venerique nefandæ,
Delicijſquè datum eſt, mora nulla: patentibus urnis,
Surgite. Vos, ſocij, Diuis abiungite, ſontes.

Hylus Puer damnatus ad Patrem.

QVò pater auellor? miſeri cur oſcula Nati,
Amplexuſque fugis? potuiſti linquere ſolum,
Crudelis! Stygię circumſtant undique dirę,
His ſocius tradar! natum ſic prodis Auerno!
Da Genitor dextram, & tecum me tolle per auras.

Caleph Pater ad filium.

HInc Puer, hinc abſiſte procul, gemituq; Parentem
Deſine compellare tuum, ſi noſtra tuliſſes
Præcepta, ac monitus non hæc modò fata ſubires.
Si nunquam Patrem es veritus, ſi nomina Patris
Temnebas, ſi non Patris mandata ſecutus,
Quem nunc imploras infido pectore Patrem?

Delia Mater damnata ad filium.

QVò tibi nate fuga est? quid matrem toruà cueris?
Quouè oculis auersus abis? ego Delia mater,
Non materna vides niueo spumantia lacte
Vbera, non prærum fœcundo pondere felix?
Non lacerum crinem, contusaque pectora palmis?
Quò Genitricis honos, pietas quò prisca recessit!

Cocles filius ad Matrem.

NE quicquam querulo, Genitrix, hæc ore volutas,
Me fouet alter amor, melior mihi reddita mater:
Tuque abeas, quò te furiæ rapiuntq; trahuntque.
Mich. Quò ferè nimium lacrymæ, ferique dolores,
Iam iam aderit paribus qui crimina cladibus æquet.

CHORVS NOCENTVM.

HEù quos dabimus miseranda cohors
Gemitus tanto funere dignos!
Heù quis ab imo pectore luctus
Mala nostra pari crimine diluat!
Nunc in lacrymas corda liquescant,
Fusique genas imbribus obruent;
Nunc dolor atris cladibus incitus,
Laceret fœdis unguibus ora.
Quò delicijs nescia vinci
Nostra libido cessit! & auri
Vesana fames! quò blanda Venus!
Quò raptus honos! rapta supellex!
Alias versat fortuna vices,
Alius rerum nascitur ordo,
Versa in tristes gaudia luctus,
Versa in lacrymas omnia lugent.

Erepta

Erepta cohors fida sodalium,
Nullus amicos coniungit Amor,
Oblita sui coniugis vxor,
Natisq; suis auulsa Parens.
Terrore labat mens malè conscia,
Fremit hinc, atq; hinc agmen Auerni,
Capiti Iudex imminet horridus,
Mugit ab imo Tartarus antro.
Vtinam vuæ lumina nobis,
Nunquam genitrix fœta dedisset,
Vtinam infantes sybilus anguis,
Aut nos crepitans flamma vorasset:
Scindite vestes flebile vulgus
Plangite crebris pectora pugnis,
Lacerate comas, tollite questus,
Hæc vna licent gaudia nobis
HEV', HEV', HEV', HEV'.

FINIS QVARTI ACTVS.

DICHIARATIONE

Del Quinto Atto.

NEl Quinto Atto prima che cõparisca il Giudice, compariranno alcuni Angioli con l'insegne della sua Santissima Passione, come la Lancia, Croce, Chiodi, Spongia, Flagelli; & altri porteranno il trionfo di tutte le cose che vinse Christo per virtù della sua santa Croce, come il Peccato, la Morte, il Demonio, la Potenza de' Tiranni contro li Martiri, l'Heresie, la curiosità della Sapienza terrena contraria alla semplicità della nostra Fede, tutte l'infermità, e miserie di questa vita, come caldo, freddo, fame, sete, & altre cose. Il Padre Eterno darà al Figliuolo lo Scettro, con potestà di giudicare il Mondo, e descendendo nella Valle di Giosafat, si marauiglierà Cayphas, Pilato, e tutti i Giudei, marauigliarassi Aristotele di vedere vn'huomo come vn Dio. Assentato Christo nel suo trono, si volgerà prima à man destra dãdo le Palme, e Corone a' suoi Santi, secondo i l merito loro, cominciando da' Patriarchi, e per ordine a' Profeti, Apostoli, Martiri, Dottori, Heremiti, Religiosi, Vergini, e principalmente alla sua dilettissima Madre, & ad alcuni Padri di famiglia. Adamo con tutti i Beati lo ringratiaranno di tanta gloria, buttando le corone intercederanno per l'anime del Limbo, che stano in terra con loro solazzi. Poi voltato alla sinistra sdegnato ascolterà l'accuse, incominciando il Demonio, gl'Angioli Custodi, & altri Santi contro i peccati di quei peruersi huomini, li quali all'vltimo Christo con loro gran spauento, e pianto condannerà. Michele per comandamento di Dio legarà Lucifero. Ieroboam, capo de' dannati, non potendo intercedere per mezzo de' Santi Angeli, nè di Maria alcuna pietà da Christo, con gli altri sarà tirato dal Demonio all'Inferno, lamentandosi Alessandro Magno, Giulio Cesare, Creso, Achille, Sardanapalo, Luthero, Mahometto, e poi rinchiusi in quell'oscura tomba, Michele chiuderà col catenaccio l'Inferno.

ACTVS QVINTVS

Michàel, Ialel, Melchiel, Ieſſiel, Nabbaniel, Iſrael, Camuel, Bannhiel, Phedàel, Gabriel, Ariel, Raphael, Bathuel, Miſael.

Mich. VNdiq; iam lecti cineres, iam uita ſepultis
Tradita, iam sõtes cętuq; atq; agmine Diuũ
Auulſi, iam pars operis nõ parua pacta eſt:
Pergite Cęlicolæ mecũ, cęptumq; laborem
Perficite: has, has exuuias, Chriſtique triumphos
Accipite, ac ſęuę memoranda inſignia cędis,
His hominum noxas, ac labes ille piauit,
His Erebi domuit uires, his uincula morſis
Impoſuit, uos hęc, ſocij, deferte per auras;
Ipſe ſequar uinctum rapiens Acheronta cathenis.

MANICAE, ET VINCVLA.

Ial. Obſequimu. Manicas en ipſe, & ferrea primus
Vincla gero, hęc uobis homines ſpectanda feruntur,
His uobis quęſita ſalus, hęc uincula ueſtrum
In cędem rapuere Ducem, qui uincla reſoluit
Veſtra'ſuis; hęc uincla Deum tenuere furentem
In populos, flammaſq; atq; horrida fata minantem:
Sed ſatis indulſit uinclis, ſat tempore longo
Se cohibet, uincliſque iras, dextraque cõercet,
En contra uos uincla manent, uos illa luetis
Vincla Dei, & grauibus pendetis uincula uinctis.

COLVMNA.

Mel. En Rex ueſter ad hãc impactus terga Columnam
Flagra tulit, Deus hęc inflixit uerbera Nato,

Non

Non Natum ueritus, non inscia pectora culpę :
Discite quę sit uestra lues: si talia Regem
Fata premunt, quę stat Populo fortuna nocenti !

CORONA, ET PVRPVRA.

Ies. Hęc Serta ex tribulis, atq; hęc data Purpura Christo,
Hęc lacero capiti uepres infixit arando,
Vos hæc Serta Deo, uos, & per tempora dumos
Fingitis; ille quidem fuerat meliora daturus
Serta, & purpureas uestes, & sceptra parabat;
Sordida sed postquam uobis promissa uidentur
Reddet pro tribulis tribulos, pro murice flammas.

MALLEVS.

Nab. Malleus hac triplici perfodit cuspide Christum,
Traiectasque Dei distraxit in æra palmas,
Vndè daret facilem amplexum, & sua brachia nostris
Necteret, adiunctasque manus. Vos terga uocanti
Vertistis, terrisque animos, atq; ora dedistis:
Ille etiam uos in terras, terræque tenebras
Adijciet, dabit, & terras queis terrea mens est.

CALAMVS, ET SPONGIA.

Isr. Hic rerum Domino Calamus sublimis acetum
Extulit, hęc tristes sitienti Spongia potus
Miscuit: heù uobis heù qualia seruat Auernus
Pocula, quæ meritò miseris aconita propinat.

HASTA.

Cam. Sanguine sacrificio tepefactam cernitis Hastam,
Hęc fodit latus, hæc patefecit in intima Christi
Corda uias, dedit, & uobis adapertile pectus:
Hic mollis torus, hic requiem, tutosque recessus

Quærere

Quærere erat, uerum hęc quicumque refugit
Hoſpitia, hunc Stygij Regis manet hoſpita tellus.

CRVX.

San. Hac Trabe parta ſalus, hæc terras arbor Olympo
Æquauit, tulit hæc ueſtræ diſpendia culpæ,
Hæc quondam fuerat terrorque, & pœna nocentum,
Nunc ſolium ſublime Dei, nunc ſtemmata Regum,
Nunc ſceptrum Dueis ętherei, & uenerabile ſignum,
Signum quò Deus ad pugnas, & dura uocabat
Bella ſuos, & quo certamina lętus obibat
Miles, inexpleta furiarum interritus ira:
Hoc pretium fuit, & mundi percuntis aſylum,
Certaque ſpes miſeris: modò ſed fatale tribunal
Eminet inſontes, & Iudicis horrida ſedes.

PECCATVM.

Phe. Hoc Scelus, hęc ueſtra improbitas, hæc limina Cęli
Clauſit, & hęc rapidi fauces laxauit Auerni,
Nunc Cruce victa gemit, nunc, & vibrantia quondam
Demiſit capita, & ſciſſos turpauit amictus.

MORS VICTA.

Gab. Hæc antiqua Lues, hæc Mors, hæc illa ſagittis
Horrida; tu populis Vrbes, tu rura colonis,
Milite tu populata Duces, tu remige puppes,
Tu ſolita infractas iuuenum contundere uires,
Tu titulos, & tu capiti diademata Regum
Excutere, ò quoties natorum in funere Matres,
Et quoties Coniux te deteſtata mariti
Ante rogos, ò quot gemitus, quot ſęua querelas
Per tumulos, & agros, per templa, & tecta dediſtis,
At modò quò tua uis, tua quò victoria ceſſit!
Quò furor: en populos, & quas tua dextera gentes
Strauerat: una tibi imperium dedit arbor, & arbor
Abſtulit, hæc celeres arcus, ac ſpicula fregit.

MOR-

MORBORVM GENERA.

Ari. En febres auidas, morborumq; agmina membris
Noxia, & en circum macies, labor, otia, luctus,
Et quotquot fuberant mortali in pectore peſtes,
Nullus apud Superos uobis locus, & mora nulla
Vlterius. Vos ſub Stygias Crux alma paludes
Demigrare iubet, pœnaſq; augere nocentum.

CRVDELITAS TYRANNORVM.

Raph. Hæc rabidos acuit Chriſti cultoribus enſes
Sœuities, hęc hęc lacerauit debita Cœlo
Corpora, non ultrà gladio, ferroque minari,
Non ultrà dabitur ſœuos armare Tyrannos,
Non torquere pios: rabies tua perdita, quondam
Nil intentatum liquit, nil liquit inauſum,
Non armis, non inſidijs, ferroque pepercit.
Nunc proſtrata iaces, nequicquam tanta mouebas
Funera, dum Chriſti certas excindere nomen,
Vis, & mens hominum lœua eſt, ſi certet Olympo.

HAERESIS.

Bath. Hęc illa impietas toties ariſque, fociſq;
Et uero molita dolos, hęc ſidera Cœlo,
Diripere, hęc tenebras conata effundere luci,
Quas non in partes animos, & pectora uertit!
Quę non conſilia, aut quos non accincta furores
Vt furiale malum populis, & triſte uenenum
Miſceret, quateretque nouis erroribus Orbem,
Sed nil inſidijs, nihil his conatibus auctum.

SAPIENTIA MVNDI.

Miſ. Hęc eſt Graiugenum, hęc ueteris ſapientia Romę,
Quę nil credibile, ac uerum nihil eſſe docebat,

Quod

Quod non aut oculis, aut quod non sensibus ullis,
Aut non deprehensum certa ratione fuisset;
Cętera stultitiam, nugasque putabat aniles,
Te miseram! quid enim terra moliris Olympum,
Ingenijque tui tàm paruo limite claudis
Numina: Non aliquid Cęli dominator habebit,
Quod non aùt oculis, tacitę nec acumine mentis
Perspicias: sed iam non unquam uisa, nec unquam
Credita, nec dum uita fuit, sperata patebunt
Tartara, sic discès, & certa, & uera fateri,
Illa etiam fieri quę quondam posse negabas,
Et quę non animis, oculis non hausserit ullus.

LVCIFER PATER PECCATI.

Mic. Nunc inuisa lues te claro in lumine prębe
Spectandum populis, præstanti corpore Regem
Purpureas per colla comas, uultusque decoros
Aspicite, hic uester Deus est, huic thura dedistis:
Hunc quoque ductorem dabitur non linquere uestrum,
Hic fuit, hic maneat uobis in sęcula ductor:
His tu Tartareum monstrum dominare sub umbras,
Parce pijs, non hos iterum uexare uetustas
Vicerunt, uiresque tuas domuere ferendo.
Hic modò consistas monstris adiunctus Auerni,
Dum veniens statuat Iudex, quid cuique luendum.

PATER ÆTERNVS AD FILIVM.

Nate Parentis honos, amor unus, & una uoluptas,
En hominum fatis extremum imponere finem
Tempus, vt vltrices scelerum decernere pęnas:
Hę tibi erunt partes, tu sęui Iudicis iras
Expertus, tunc digna reis, & iusta rependas
Iudicia: humanos artus prębebis, & ora,
Quę timeant fontes, & amet sacra turba piorum:
Huc usque innumeris, ò Nate incognitus oris,

Aut

Aut inuisus eras, nec dum tua credita multis
Numina, uel scelere, aut cultu temerata profano;
Mox rerum Dominum; uersantemque omnia dextra
Te uideat quicumq; tuos contempsit honores.

CHRISTVS AD PATREM.

Sancte Pater, qui sceptra mihi communia tecum
Esse iubes, Numenque tuum mihi tradis ab æuo,
Tu me confectum pœnis, omnique dolorum
Squitie, & tandem crudeli morte peremptum,
Educis tumulo reducem, Cœloque receptum,
Das super astra tuis pariter consistere dextris:
Nunc etiam magni mihi iura, & nomina defers
Iudicis, atque hominum causas, & præmia mandas:
Iussa libens perago. Pat. cape nostri insigne sceptri,
Quo quicquid scelerum, & culpæ quicquid ubiq; est
Excutias, neque enim terras inglorius ibis;
Sat multos quondam duxisti ignobilis annos,
Nunc populis Numen, tuaque est spectanda potestas.
Xps. Ascendi patris olim comitatus Olympum,
Nunc septus populis, atque inter multa reuertor
Millia, nunc noua nupta meo dignata cubili,
Seque suosque omnes thalamis, Regnisque maritis
Inferet, & mecum felices exiget annos:
Iamque uale Genitor. Pat. Vale, & Patris unica proles.

CHRISTVS AD IVDICANDVM.

Instrue tu Superas acies, ac tela ministra,
O Michael, atque æther tum tuba dirigat agmen
In Vallem Regis Iosaphat, quæ nomina seruat:
Adsint ò dilecta Parens, Diuumq; Senatus:
Quin totus lituis supraq; infraque resultet
Orbis; & incipiant iam iam trepidare nocentes,

IVR-

TVRBA REORVM.

Heù, heù, heù, heù, heù, quot turmas fundit Olympus
Agmina quanta ruunt, quot fulminat ensibus Æther:
Ecce autem Iudex rutilo secat æra nimbo,
Heù, heù, quam rabidos vultu defulgurat ignes,
Quantus, & ore fremit, quæ nunc specus alta dehiscat,
Et rapiat miseris tantę spectacula cladis.

ADMIRANS PILATVS.

Hic ille, ò Solymi Patres, quem crimine diro
Damnatum, fixumq; Cruci demisimus Orco!

CAYPHAS.

Ille qdem! quę me, quę vos (proh') tartara mergent!
Quis feret indignos! quos nunc dabit ore furores!
Quas quas, heù, nostro sumet de sanguine pęnas.

ARISTOTELES.

Quis precor hic hominũ est? nõ hic mihi cognitus vsq̃
An tantum potui Regem ignorare! quis hic est?
An Deus hic alter? sed quis duo Numina fingat?
Non patitur natura Deos, satis est Deus Orbis.

CHRISTIANVS.

Hic Deus est, natusq; Dei par Numen vtrique,
Hoc equidem noram, sed non fuit, hei mihi, tantum
Nosse satis, prauos decuit componere mores.

MICHAEL.

Murmure composito, modò Regem quisque loquentem
Audiat, & quæ fata sibi sint debita discat.

CHRI-

CHRISTVS AD PIOS.

O Diuùm genus, ò Supero dilecta Parenti
Agmina, nunc tandem multis illuxit ab annis
Expectata dies, qua vos tot cladibus actos,
Et toto innumeris iactatos Orbe periclis
Accipio, reduceſque animos, & corpora cerno,
Iam modus ęrumnis poſitus, iam uicta laborum
Sęuities, nimbis horrens iam bruma receſſit,
Meſſis adeſt, licet æſtiuas decerpere fruges.
Iam triſtes ſcopulos dubiæ, iam Syrtis arenas,
Æquoraq; emenſi, portus, & tuta videtis
Littora, iam poſitis ſiluerunt claſſica bellis,
Nulla vſquam armorum rabies, pax alta per Orbem:
Ponite tela manu, claroſq; ex hoſte triumphos
Accipite.

AD PATRIARCHAS.

O Patres quorum eſt Hebręa propago
Vndè mihi genus eſt ſęclorum ex ordine ductum;
Vos ad prima voco Noſtri ſubſellia Regni,
Vobis ante alios fuit, & promiſſa per æuum,
Et ſperata ſalus, primi referatis eandem.

ABRAAM.

Sic equidem fore, progenies ò noſtra, Parentes
Sperauere tui, neq; nos hęc cura fefellit,
Sit ſatis ò tandem, ſanguis meus, & tua ſceptra
Aſpicere, & populis te dantem iura tueri.

AD PROPHETAS.

Veſtra, ò fatidici Vates, hęc altera palma
Veſter, & alter honos; uos me, & mea fata canentes
Exegit ferro, & varijs manus impia pęnis.
Nunc quem per gladios, nunc quem per tela dediſtis
Defenſum, à Stygijs hic uos tutabitur armis.

MOSES.

Hæc tua laus, tuus hic honor eſt, ò maxime Vatum,
Tu ventura mones, & Vates uatibus ipſe es,
Quin etiam nobis quęcumque oracula pandis,
Idem firma facis præclara in luce videri
Omnibus, oſtendique pàlam tua Numina terris,
Gratulor, agnoſcant homines non omnia Vates
Mentitos de te canerent dum myſtica rerum.

AD APOSTOLOS.

Ad uos nunc geminas acies, & lumina uerto,
Quos ego biſſenos comites complexus in omnem
Fortunam, quos in caſus, ſęuoſque labores
Adſciui ſocios, uos me fleuiſtis ad auras
Pendentem, & Solymi ſudantem in culmine montis.
Vos primi me iuſſa Patris diuina ferentem
Audiſtis, uos hæc eadem ſparſiſtis in Orbem,
Vos, ceù prærupti colles in uertice ſummo
Exceptos Phœbi radios, imbremq; ruentem,
Fudiſtis nemorum in ualles, uos, more Parentum,
Hæc tam multa meis peperiſtis millia Regnis.
Nunc agite, & biſſena auro fulgentia ſceptra
Accipite, ac totidem ſtructas ex ordine ſedes,
Et uarias hominum mecum decernite ſortes.

D. PETRVS.

Hæc tua ſunt promiſſa, Pater, nos reddita lęti
Accipimus, lętiq; tuos ſpectamus honores,
Et uultus nitidos quos olim ſanguine turpes
Vidimus, & dumis laceros. ———————

AD MARTYRES.

——————— Vos præmia ferte,
Vos, ò magnanimi Heroes, uos lęta iuuentus,
Vos mihi funereas clades, & funera paſſi,
Vos rabiem experti Regum, uos prodiga ueſtri
Sanguinis, & flammis, & ferro neſcia uinci
Pectora, quis uobis labor, aut fortuna pepercit!

Ceruices alijs falcatus perculit enſis,
Huic penitùs direpta cutis, nudataq; ferro
Viſcera, Crux alios infanda morte peremit,
Hunc feruens oleum, hunc lapides, hunc ignea crates
Abſumpſit, qua uos, qua non exercuit hoſtis
Sęuitie! quas non in ciades tortor adegit,
At non indecores, nec inulti hæc ſęua tuliſtis
Funera, nunc dabitur grauiora rependere ueſtris
Hoſtibus, intereà lęti date tempora circum
Purpureos flores uictricis præmia dextræ.

D. STEPHANVS.

Non mirum, Rex omnipotens, nos talia paſſos,
Tu tacitis animos ſtimulis, tu tarda mouebas
Pectora, quæ longè grauior fortuna peregit:
Nunc agè, quæ nos ferre iubes inſignia laudum,
Stent omnes monumenta tuæ pietatis in annos.

AD DOCTORES.

Vos nunc ad meritas Patres accedite palmas,
Quas uobis labor, & populos pia cura docendi
Perſoluit, decora hæc capitis, uirideſque coronas
Accipite, hos uobis defenſa inſtauret honores
Relligio.

D. AVGVSTINVS.

Accipimus, contra tibi digna daturi
Carmina, quod noſtras arcano lumine mentes
Foueris, & tenebras, rabies quas fudit Auerni
Depuleris.

AD HAEREMITAS, ET RELIGIOSOS.

Vos, & lateri ſuccedite dextro,
Qui nemorum ſpecubus, toto uel tempore clauſi
Cœnobijs,

Cœnobijs, uitam rebus duxistis egentem
Omnibus, en uobis æternas diues Olympus
Seruat opes!

D. ANTONIVS.

——— Tecum tulimus, mitissime Regum,
Pauperiem, nunc, & tectum cœlestibus auctos,
Diuitijs regnare iubes, modò nos tibi iunctos
Esse uelis: quà diuitiæ, tam sordida grata est
Paupe-ies.

AD VIRGINES.

——— Ad uos refero nunc ora puellæ,
Quas niueus pudor, & uernanti in corpore candor
Regales odijsse toros, odijsse Tyrannos
Impulit, ipsæ meis supera uos arce receptas
Dignabor thalamis, castisque in sæcula tædis,
Nunc caput, ac roseos crines redimite chorymbo,
Candidaque innuptæ suspendite lilia fronti.

AD B. VIRGINEM MATREM.

In primis tu, cara Parens, cui munere nostri,
Nec sobolem pudor inuidit, soboleque pudorem,
Nec tibi certus, & unus honor pulcherrima Virgo,
Omnes sed Superùm palmas, & præmia Diuùm
Vna feres, partes alijs, tibi Regia Cœli
Tota vacat.

MARIA.

——— Tua sic equidem mihi cognita semper
Nate fuit pietas, sic me spectare iubebat,
Tu mea diuino complexti uiscera partu,
Tu mihi uirgineæ decus inuiolabile seruas

Laudis, & in ſummos Cęli me tollis honores;
Contiguamque tibi ſtatuis, ſolioque ſecundam,
Nunc tibi, quæ reliqua eſt à dextris turba Piorum,
Commendo, hos etiam meritis tua dextera donis
Augeat, & dictis animos ſoletur amicis.

CHRISTVS.

Faxo equidem, uos has reliqui conſcendite ſedes,
Qui thalamos quamuis, quamuis conceſſa ſaluti
Coniugia, & quamuis opibuſque, domoque tuendis,
Intenti, non ulla tamen contagia culpę
Hęſerunt animis, aut ſi qua fuere, piaſtis,
Ergo etiam uobis ſummo ſtant prędia Cęlo.

ADAM.

Nunc, ò Rex hominum, rerumque æterna poteſtas,
Da tandem, da pauca loqui, proque omnibus unum
Dicere, quas unquam tacito tibi pectore laudes
Concipiam! quas ore tonem, quando, & mihi quondam,
Et generi collata meo tua munera narrem!
Principio tu nos animis cęleſtibus ornas,
Ingenij uires, & acutæ lumina mentis
Fingis, & erecto ſublimia corpora uultu,
Æthereos trepidare orbes, & currere nobis
Aſtra iubes, uarijs terras animantibus imples,
Aèraq; & fluctus, herbis, & frugibus agros
Fœcundas, nos, & noſtras cuſtodibus Vrbes
Cęlicolis firmas, te donis inſuper addis
Ipſe meis, nunc hac tandem ſpectante corona,
Tot decora, & palmas, & tot prędonia laudum
Inſtauras, uos hinc Regi, uos ò mea proles
Carmina, & ex animis meritas perſoluite grates.
In clades ego uos genui, dedit ille ſalutem,
Vos tumulis ego ſuppoſui, uocat ille ſepulchris,
Si Stygię peſtes, & dira aconita paraui,

Ambroſiam

Ambroſiam dedit ille, fores, ſatq; oſtia Cęli
Crimine clauſa meo, ſuperata morte recluſit.
Illi nunc cytharis, illi nunc perſonet Æther
Cantibus, huic genua, & uirides de fronte coronas
Sternite. *Chriſ.* Surge Parens hominum, conſurgite Diui.

ADAM.

Auſim ego muneribus tantis cumulatus, & illud
Te petiſſe meis quod uotis deficit unum:
Reſpicis Infantum cuneas, quos ubere Matrum,
Auulſos hùc uſque iubes uagire ſub umbras,
Horum nec ſcelus eſt aliquod, nec gloria facti
Vllius, ad neutrum uires dedit inuida Cloto,
Culpa qdē, & ſcelus omne meum eſt, mea facta nocēte
Progeniem fecere meam, nunc quos mea letho
Culpa dedit, proſint iiſdem mea uota, preceſq;
Nec precor in Cęlum tollas, quos nulla piauit
Sanguinis unda tui, at terras, & terrea prębe
Gaudia, da Cęlum, quod non conſcendere fas eſt
Aſpiciant. *Chriſ.* hęc etiam rata munera ſunto.

AMON ANIMA LYMBI.

Glòria digna, tibi maneat placidiſſime Iudex,
Quòd nos ereptos tenebris, votique potentes,
Ætheream lucem tribuas haurire per ęuum,
Ergo terrarum campos, & aprica colemus
Littora, pacatas pelagi tranabimus undas,
Diſſimilemque ſui Scyllam luſtrabimus agros,
Nec triſtes nebulis, nec iniqua fulmine quaſſos?

SECVNDA ANIMA LYMBI.

Ora quidem tua, Rex hominum, non cernere fas eſt,
Nec petere, aſt Cęli rutilos mirabimur ignes,
Et ſi non Dominum, Domini ſpectabimus arces.

CHRISTVS.

NVnc contra clades, & triſtia fata nocentum
Penſanda, hæc mecum uobis tractanda ſuꝑ ſunt
Iudicia; ac primum fandi nunc copia cuique eſt,
Crimina ſi quis habet, quę nobis deferat actor,
Aut quibus aduerſo teſtem ſe præbeat ore.

ACHERON.

O' Rex omnipotens, rerumq; acerrime iudex,
Primus ego ante alios, quem pars hęc leua coërcet
In Phlegetontęos ignes, pœnaſq; repoſco,
Natura tuus eſt, at ſi contagia morum
Inſpicias, meus eſt, noſtro certamine uictus
Succubuit, victos tradi victoribus æquum eſt;
Quin etiam ſe ſponte meis ſubiecit inermem
Imperijs: rapies inuitum ad ſidera Cæli?
Spreuit opes, ſpreuit quę tu promiſſa canebas
Poſt obitum, tua contempſit, mea dona ſequutus,
Nolenti placitura modò tua munera credis?
Addebas monitus, arcano corda mouebas
Impulſu, tacitęque dabas calcaria menti,
Reſtitit ille tibi, riſit, quęcunque monebas
Conſilia, at monitus noſtri, noſtręque placebant
Illecebrę, quod ſi ſceleratę parcere genti
Eſt animus, cur nos Supera detrudimur arce?
Quæ ſcelera in nobis? quicquid deliquimus, unum eſt.
Hi contrà, quę non cœptis immanibus auſi
Flagitia, aut quæ uox illorum crimina fando
Explicet, en uaſtos ingenti pondere libros,
Hic ſcelera, hìc culpas ſeruo deſcripta uirorum,
Sęuijt hic ferro, dextraque in tartara multos
Prœcipites dedit, hic multo prædatus egenos
Fœnore, & hic toties populatus regna cœmptis
Mercibus, hic fœda thalamos uiolauit adulter
Pellice,

Pellice, quid multis opus est? tu cętera nosti,
Tu meritas statue in scelerum discrimina pęnas.

PHEDAEL ANGELVS CVSTOS.

Nos quoq; contemptis primus, Sanctissime Princeps,
Nostra uiris semper, populisque impensa tuendi
Cura fuit, sed nunc, quisquis custodibus uti
Noluit, actores habeat: quæ tempora nostris
Officijs caruere? quibus noctemque, diemnè
Defuimus? quęnam uobis subduximus unquam
Auxilia? Eumenidum rabiem, Stygiosque furorem
Depulimus, castos dedimus sub pectore sensus,
Quod rectum fuerat, quod Christi milite dignum
Suasimus. O' quoties dum corpora somnus habebat
Adstitimus uigiles, quoties pia uota Tonanti
Obtulimus, uestrasque preces! quot munere nostro
Casibus, & quantis uita est erepta periclis!
At uos immemores nostri, Ditemque secuti
Omni Custodes temeratis crimine uestros;
Tu Iudex paria ingratis exempla reponas.

D. AGATHA.

O decus, ò casti Vindex ęterne Pudoris,
Nos etiam tradi in pęnas infanda rogamus
Agmina. Vos animum Baccho, Venerique dicastis,
Vos sacrata Deo maculastis pectora turpi
Illuuie, quid non petulans aggressa libido,
Continuit ne ullis oculos, aut corda puellis,
Seù pueris! & quos thalamos, alienaque fugit
Connubia! An consanguineos temerare penates
Extimuit! Quin & nobis inferre parabat
Damna pudicitię, Tu nunc ęquissime Iudex,
Hanc Venerem, hos fœdos grauioribus ignibus ignes
Extinguas.

D. ANTONIVS.

An adhuc tumidæ fastigia gentis,

An faustus, aurique famem patieris inultam,
O' contemptor opum! patrias nos liquimus oras,
Cognataſque domos, nemorum ſeceſſimus antris,
Viximus indecores, argenti, auriq; talenta
Spreuimus, agreſtem ſtirpes, & gramina uictum
Prębebant, olidæ pelles durata tegebant
Corpora, quin etiam ob uitę melioris amorem
Viuere deſijmus, nunc horum reſpice luxum,
Impendere dies epulis, noſtramque peroſi
Pauperiem, totis inhiarunt mentibus auro,
Emptus honor, rapti faſces, quęſita ſupellex
Regia, ſeruorum lateri longiſſimus ordo
Adiunctus, ſuſpenſa toris, ſuſpenſaque tectis
Aulęa, anne illis eadem nunc commoda ſeruas!
Delitias nè alias nobi ſcum in ſæcula ducent!

D. AVGVSTINVS.

Omnipotens Deus, & veri, rectique Magiſter,
Tradideras nobis populos, Vrbemque docendam,
Paruimus, quodcumque Gregi conducere viſum,
Expoſitum ſatis eſt, ſonuerunt pulpita noſtris
Vocibus, in triuijs etiam, & per compita noſter
Auditus clamor, raucæque in littore fauces,
Clamatum ſatis eſt, ſed nil clamoribus actum.

D. SEBASTIANVS.

O' ſcelerum Vindex, & noſtri ſanguinis ultor,
Innumeris mea membra uides laniata ſagittis,
Vulnera noſtra uides, & funera ſæua tuorum,
Hæc ferro populata uides, hæc tradita flammis
Corpora, & illa uides pelagi demerſa ſub undis,
Carnificum hinc rabiem, & noſtrum depaſta cruorem
Regum tela uides, quæ index, quæ mora nunc eſt?
Stringe manu gladium, cladeſque ulciſcere noſtras.

D. PAV-

D. PAVLVS.

Turbine præcipiti tandem rape, maxime Regum,
Inuisa hęc capita, & nostris aspectibus aufer,
Mens iamdudum auersa mihi est, nec talia possum
Monstra pati, qui te fontem, summamque bonorum
Posthabuere sibi sua commoda quisque secutus,
Oblitusque tui est, at te poscentibus illis
Tolle, nec obsequia illorum dignare rogatus.

CAMVEL.

Nos, ò Rex Superùm à primo deuoluimus quo
Æthereos Orbes, labentes duximus annos,
Abstulimus longè Solem, mox tempore certo
Rettulimus, pauidis immoto sidere nautis
Adfuimus, stabilique vias direximus Arcto,
Sed quid ego hęc refero? nullis tractabile pectus
Officijs, nec te astrorum, Cęlique potentem,
Nec memori nostros animo coluere labores.

IALEL.

Nos etiam innumeros tutati elementa per annos,
Tellurem in segetes, in frugum germina campos,
Et varia in varijs syluarum brachia fatus
Induimus gregibus, pubescere iussimus herbas,
Extulimus fontes, mutatas æquore merces,
Veximus, æquoreis pisces suffecimus vndis,
Aèreas dedimus pluuias, & frigora flammis
Depulimus, sed quis (serimus dum talia) narret,
Quę scelera in terris passim per Regna, per Vrbes
Videlimus! neq; me quęcumque aspeximus, aut quæ
Flagitia inuiti tulimus memorare necesse est!
Ipsa palàm sese recluso pectore produnt
Crimina, sed tectas neque mens malè conscia labes

Dissimulare valet, clarè vos omnia Diui
Inspicite.

TVRBA REORVM.

Heù, heù, heù, heù, qs nostri penetralia cordis
Prodidit! En tacitis animis quęcunque latebant
In lucem venere, quis hęc feralia nobis
Dedecora instaurat! quis cladem cladibus vrget!
Huc ruite, ò colles, quasso nunc uertice montes
In capita hæc uestris certatim aduoluite syluas,
Quis modò congestis incumbens Auster arenis
Ora tegat! quis nunc abrupto littore Pontus
Infames uultus superantibus obruat undis!
Subtrahat, & populis sceleris spectacula nostri!

ADAM.

Ipse etiam accedam post omnes vltimus actor,
Vtque alias hominum causas, & facta relinquam,
Te mea verba petent, Acheron tibi feruidus insto
Delator, iuuat hic antiquum explere dolorem
Longęui senis, & deceptæ coniugis iras,
Tu labes, tu prima lues, tu causa malorum,
Tu miseram insidijs aggressus, & arte puellam
Vipeream inspiras tabem, nostramque ueneno
Progeniem labente necas, cur inuida pestis
Congressus nostros, nostram tentare palestram
Non ausus! quam uicta tibi dat fœmina laudem,
Quin etiam, nec te puduit tot iurgia dudum
Iactare, & miseros probris urgere nocentes!
An te ipso eluuies, monstrumque nocentius illum?
Mortali mentes hebetantur corpore nostræ,
Præcipitesque ruunt, at tu sine corpora uita es;
Author tu nobis scelerum, suasorque malorum,
Tu nullo suasore cadis, tibi uiuida mens est,
Ingeniumque celer, nos noxia corpora tardant,

Te

Te rapit in culpas, atque omni crimine uexat
Liuor edax, odiumque Dei, nos blanda uoluptas,
Tu Rex omnipotens æquissimus arbiter esto
Vtrorum impietas grauior, tu Numine dextro
Vltorem mihi te præbe, generique meorum.

CHRISTVS.

IAm longo uersata satis certamine lis est,
Nec locuples causæ testis, nec defuit actor,
Vltima nunc dubijs quæ stet sententia rebus
Accipite: ac primum tu Dux Cocytius iras
Experiere meas, primis tu semper ab annis
Infensus mihi, tu nostris auersus ab æuo
Laudibus, ac sceptris quas implacabile monstrum
Arsisti in furias, cum prima ab origine Mundi
Debita fata mihi, & diuinæ prolis honorem
Vidisti, iam tùm rabie, diraque superbus
Ambitione furis, cessisti pulsus Olympo,
An modus inuidiæ positus, num pectus, & iræ
Detumuere tuæ, fremis, atq; horrentia rursus
Bella cies, Erebo socios effundis aperto
In terras, totum misces furialibus Orbem
Cladibus, & Stygijs mortalia pectora telis
Exagitas, ò quanta pijs, ò qualia Diuis
Exitia, heù quos non in me, & mea castra Tyrannos
Extimulas odijs, & dum me perdere certas,
Quos, quos non adigis iurare in prælia Reges!
An vitæ, an capiti potuisti parcere nostro,
An vetitus: me, me, latronum more necandum!
Erigere in truncos, lacerisque aduoluere saxum
Artubus, & tristi corpus temerare sepulchro!
Pridem etiam Christos alios, aliamque salutem
Mentitus, bellum reparas, & cæde meorum
Templa, domosque rigas, heù plùs satis inuida Cælo,
Impatiensque iugi, & domitari nescia pestis,
Nunc sceptrum excutiam terræ, pelagique timendum,

Nunc in uincla manus adigam, nunc compede uinctum,
Teque, tuosque premam, & Stygio sub carcere mergam,
Nunc superas dabitur posthac errare per auras.

ACHERON.

Heù meliora precor, ne tantas incute clades
Christe potens rerum nec Adæ clamosa senectus
Te moueat, nos ille odijs oppugnat iniquis

CHRISTVS.

Nec tacuisse potes! Michàèl immitia frenis
Ora premas. Hominum nunc pendere crimina tempus.
O' prorsum imperijs gens intractabile nostris!
Hæc est illa dies, in quam spectabat ab æuo
Annorum series, hanc uobis tota vetustas,
Hanc Diuùm monita, hanc Vatum cortina minata est,
Hæc pacata diù in rabiem mea pectora soluet,
Nec faciles animos, solitamque ignoscere dextram
Exacuet furijs, hæc hæc distringet in hostes
Desuetum bello tàm multa in sæcula ferrum.
Quærere iam tandem iuuat, & cogere causas,
Quæ uos, & scelere, atque odijs decernere mecum
Impulerint! quæ culpa mea est, quo crimine uestros
In me animos, tantam rabiem, tantumque furoris
Accendi! scelus est equidem quo deprimor unum
Sparsisse immemori, ac stolidæ tot munera genti.
Mitto ea, quæ dudum memorarunt plurima nostri
Cælicolæ, mitto quæ tantum cognita uobis:
Hoc vno potui fera corda euincere dono,
Hos mihi (cui Genitor Deus est, cui sidera parent)
Vestra salus, & fidus amor circundedit artus,
In stabulo iacui, Domino blandita iacenti
Bruta gemunt, gemit, & querulis vagitibus antrum,
Membra gelu concreta rigent, cunabula mater
Graminea, & turpi concreta crepundia fœno

Appa-

Apparat, accitur qui mollia corpora saxo
Percutiat, Pharias infans, atq; exul in oras
Hoste premente feror profugum comitatur egestas,
Nec patrias eadem repetentem deserit oras:
Quid memorem infandos casus uitęque labores,
Frigora, probra, famem, uariosque per oppida luctus!
Quidue dolis, falsoque agitatam crimina eadem!
Traiectosque pedes, & hiantes sanguine palmas
Exequar! aspicite, hæc seui monumenta doloris
Quatrifidamque trabem, mersumque in uiscera telum,
Quæ potui maiora! quibus meus excidit unquam
Officijs infractus amor! sed quę mihi contrà est
Gratia pro meritis! quæ digna rependitis ipsi
Munera muneribus! quoties uidistis egentem!
Frigentem quoties, quoties, & amica rogantem
Hospitia! & Cererem exiguam, tenuemque lacernam,
An tectis inopem, an lacero fouistis amictu!
An viles epulas, an uel quęcumque dedistis
Pocula, num morbo pallentem, aut carcere uinctum
Solari auxilio, & dictis lenire dolorem
Dignati? ò rabidos animos, ò ferrea gentis
Pectora, quæ uobis circum pręcordia cautes,
Aut quæ dura silex?

IEROBOAM DVX DAMNATORVM.

Ne clementissime Princeps,
Hæc scelera, has clades ingrati pectoris in te,
Obijcias miseris, an te, ditissime Regum,
Vidimus in terris unquam morboque grauatum:
Enectumque fame, aut confectum frigore membra?
O' nobis vtinam ueniisses obuius unquam,
Quæ fumus gemmis, auroque intexta daturi
Pallia! quæ lautis passim conuiuia mensis!
Quot thalamos, & quæ saturata cubilia cocchо!

CHRI-

CHRISTVS.

Nulla fides dictis, nequicquam hæc munera magno
Ore sonas, quicumque meos contempsit alumnos,
Seù famulos, mihi non equidem meliora parasset:
Iamque adeo immites animos, quos munere nullo
Edomuit Superùm pietas, uos Tartara sęuo
Igne dolent, procùl hinc aspectu abfistite nostro.
Ite sub æternis incandens ignibus antrum,
Ite ò uipereę pestes, ite agmina flammis
Debita, nulla mora est, sub cæci abrupta Barathri,
Ite, nec has auras uestro temerate ueneno,
Ite mihi malè grata cohors, malè grata Tonanti.

IEROBOAM.

Quò Superùm Pater, & nostræ spes fida salutis
Pręcipitare iubes, in quas depellimur oras!
Quæ subeunda tuis, Cęli quibus astra parabas
Exilia! annè tuo seruatam sanguine gentem.
Tradis in Eumenidum furias, ubi nam tuus ille
Nequicquam memoratus amor! tantumnè laboris,
Verberaque, & uepres, & Crux tolerata peribunt!

CHRISTVS.

Non ullus uenię locus est, hęc omnia quondam
Profuerant, nunc uos, fuerant quęcumq; saluti
Exitio grauiore premunt, pęnasque minantur.

IEROBOAM.

Vos ò Cęlicolę casus miserescite nostri,
Quos Deus omnipotens uitam legauit in omnem
Custodes miseris, experti munera semper
Vestra sumus, deeritnè extremo uestra labori
Dextera!

Dextera! si placidis clauum uexistis in undis,
Quid nunc tam rapido iactatam turbine puppim
Deseritis! ——————

RAPHAEL.

—————— Mansit dum spes incerta futuri;
Nec dum extincta salus, nec uestri ultima rebus
Orta dies fuerat, noster non defuit ulli
Aut labor, aut studium, suffecimus omnia uobis
Auxilia, at quoniam uobis mens improba, nullis
Officijs mutata loco, iam uerbere uicta est,
Nec monitis, modò nos etiam procudimus ignes.

IEROBOAM.

O Diuùm genus, ò legio ueneranda Piorum,
Ad uos confugimus, uestram per Numina Cæli
Imploramus opem, uos hoc miserabile uulgus
Respicite, indignamque luem, & data corpora flammis.
Hic tantùm locus auxilio est, hoc tempore solum
Sperandum miseris, postquam nos tristis habebit
Tartarus, & fœdos Erebi trademur in ignes;
Quid nostri gemitus! quid lamentabile murmur
Qui duè manus uestræ poterunt: hęc optima rerum
Præsidia! ——————

D. PETRVS.

—————— O! scelerata cohors attollere uultus
Infandos audetis adhuc! veniamque precari!
Nulla salus seros gemitus, luctumque sequetur,
Sic tumor ille animi, sic flecti nescia ceruix
Subsidat, sic, & uitæ pensanda uoluptas,
Sic grauis ambitio, sic lautæ fercula mensę.

IEROBOAM.

At quę ? ſpes reliqua eſt ? quæ nunc hominumq; Deiq;
Imploranda fides ! Ad te placidiſſima Virgo,
Cui decus, & pater eſt, & matri filius idem,
Tabentes oculos, & brachia ſupplice dextra
Tendimus, in gremiiſque tuis, ò Diua ſalutem
Ponimus, ardentis demulce pectora Nati,
Iratos compone animos, blandire furenti,
Tu pectus niueum, & materni pignus amoris
Vbera, fœcundoſqué ſinus, & uiſcera profer.

MARIA.

Non opus his Natum, Matremq; urgere querelis,
Certa lues uobis, prece nec reuocabilis ulla,
Ipſa ego, quę ueſtros ſemper miſerata labores,
Nec ſupplex quicumque mihi non donatus abibat,
En flammas, & tela paro. ———————

IEROBOAM.

——————— Quis deindè vocandus,
Quis uota, ac lacrymas, atq; imò pectore uoces
Audiat, aduerſis impendent omnia telis:
Hinc Iudex fremit, atque aſpectu territus inflat,
Hinc, & fulmineos enſes, haſtamque coruſcant
Cęlicolæ, hinc terrent librata cuſpide Diui,
Circumſtant rabidæ Eumenides, ſtridentq; cathenis;
Et prędę iam dudum inhiant, iam mugit Auerni
Sub pedibus tremefacta domus, iam prorſus alumnos
Indignata ſuos detrectat pondere tellus,
Quòcumq; inciderint oculi, quaſcumque relicti
Vertimus in facies, arma undiqúe, & undiq; clades;
Cogimur heù rurſùs tua poſcere Numina Iudex,
IESV in te ſuprema ſalus, tibi dulce ſalutis
Nomen

Nomen ineſt, an non æqualis nomina factis?
Quòd ſi non Superæ dignaris ſede nocentes,
Idque Parcis mandata uetant, non aſtra rogamus:
Da placidis ſaltem miſeros conſiſtere terris.

CHRISTVS.

Haudquamquam placidis: terrarú abrupta petendum,
Sauus vbi manes flammis exercet Auernus.

IEROBOAM.

Si flammas, Erebumq; iubes, nec mitior alter
Eſt locus ad pœnas, da certos cladibus annos,
Da tenebris, ignique modum. ——————

CHRISTVS.

—————— Modus unus in æuum
Conſtabit caruiſſe modo, non ulla uetuſtas,
Nulla dies, lux nulla luem, mortemq; leuabit
Mors erit in flammis, non ulli obnoxia morti
Mortua mors uiuet, non mortem inuita ſequetur
Vita comes, non & uitam mors neſcia mortis.

IEROBOAM.

O' cladem nullis æquandam cladibus unquam,
Quam non longa dies, annoſaq; leniet ætas,
O' uitæ lethale malum, cui nulla ſenectus
Vltima, nec tumulus, nec mors optata ſubibit,
Nec lacrymæ finem accipient, Phlegetontis in igne
Deiecti totos mœſti plorabimus annos,
Triſtiaque æterno ducemus ſæcula luctu;
O' quæ ſufficiant in tanta piacula cautes
Ferrea quæ moles, aut quæ non membra liqueſcent
Ferea,

Ærea, perpetuisque fluent conflata caminis,
Da saltem Rex Cęlicolùm, claroſque ſodales,
Da fidos comites, ſint qui ſub Tartara noſtram
Solentur, doleantque uicem.

CHRISTVS.

Illa agmina iungam,
Illa eadem, quæ me quondam placuere relicto,
Ibitis immixti ducibus nigrantis Auerni,
Hi ſocij, & caſus hi ſint ſolatia ueſtri:
Nec mora, uos acies Superùm raptate ſub umbras
Infandum uulgus, trahite, & quæcumque laborum,
Pęnarumque lues fuerant mortalibus ęgris
Hæc etiam accedant, Erebo, fatiſque nocentum.
Tu Michael poſtquam ſontes demiſeris Orco
Adde ſeras centum, centumque ad limina uectes.
Ad uos intereà quos ad meliora uocauit
Fata Parens, noſtrique dedit decus eſſe triumphi,
Męnia felicis mecum conſcendite Regni.

IEROBOAM.

O fortunatus nimium, quos aurea Cæli,
Et benè grata domus Superùm ſtipante Senatu
Excipit, en quantis ſtridens exultat Olympus
Plauſibus, en reſonant ridentia ſidera plectris,
Viuite felices, uobis naſcentibus Æther
Riſit laxauitque ſinus fortuna ſecundos,
Vos hæc feſta dies, hæc ſors optata manebat:
At nos exilio longè cęleſtibus oris
Iecti Stygiæ nocti, & pallentibus umbris
Æternas damur in clades, proh' exitus impar
Amborum, ò nimium fatis diſtantia ueſtris
Fata Erebi, in męlius nullis mutanda diebus.

ALE-

ALEXANDER MAGNVS.

Quę uis tanta precor, quę tanta potentia me me,
Tot quondam insignem sceptris, tot Regna mouentem
Egit in has tenebras, & miscuit omnia luctu;
Hęc mea quot Reges, quot fudit dextera gentes,
Hęc hæc Argolicam gentem, Pelopisque nepotes
Terruit, huic Candax, huic Persę, huic barbara Memphis
Succubuit, nihil, & nostris non concidit armis,
Heù nunc in tristes domita ceruice triumphos
Ducimur, & spolijs lętantur Tartara nostris;
At quò sceptra manu uerso? cur aurea frontem
Serta premunt? annè hæc arcebunt uincula collo,
An Domino poterunt tantam defendere cladem?
Absistant procùl hinc onera infelicia dextræ,
Et capitis mihi, quæ tantos peperere dolores.

IVLIVS CAESAR.

Quę misero fortuna repens, inopinaq; clades
Ingruit, ex opibus quantis, & culmine quanto
Imperij, præceps deturbor in ultima rerum,
Quis domitas Alpas, quis iam iuga nostra ferentem
Oceanum, & spolia Emathiæ, trabeamque Quirini
Abstulit! ò subitos è Cęli uertice casus!
Noster ubi horrescens Arctòò in puluere Miles,
Quis lateri gladios, curosque abduxit Alaudas?
Martia quò legio! quotquot cessere cohortes,
Cur non eripiunt iam suo ex funere Regem!
Cur non in Stygias acies horrentia torquent
Pila manu! & Dominum stricto mucrone tuentur!
Heù nil subsidio est, nullus pro Rege satelles,
Dumq; his emorior quid adhuc diademata seruo!
Ite triumphales quondam noua gaudia lauri,
Tuque Dionęę sidus genitricis abesto,

CRAS-

CRAESVS

Ergo hæc pauperies Cræsum, sordesq; manebant,
Hic squalor subeundus erat, nec talia quondam
Atticus ille Solon Cræso metuenda canebat
Quas mihi ferrata seruabant scrinia cedro
Diuitias, quibus ardebant laquearia gemmis
Aurea, qui multos scindebam uomere campos:
Omnia mors rapuit, loculos mihi liquit inanes;
Sed ualeat loculis, & Domino male fida turpè lex.

ACHILLES.

Huc ego depulsus! trahar in squalentia Ditis
Regna tumens! an degenerem gens ulla uidebit
Peliden! uictum nè aliquis iactabit Achillem!
Scit Troiana domus, scit bello acerrimus Hector
Quantus in arma ruam! quis mecum prælia uictor
Conseruit? quis me uel Atrides leuit inultum?
Sed modò nec conferre manus, nec stringere ferrum,
Nec Stygias tentare manus cernimine fas est,
Quò mihi Vulcani gladius si non datur vsus
Euolet, hinc fractaque acie, capuloque fatiscat

SARDANAPALVS.

Quò rapitis fessum Eumenides, quò mollia membra
Purpureis assueta toris? quò segnia luxu
Corpora? non uestros solitus tolerare caminos,
Sed plectris uersare chelym, dare tempora circum,
Liliaque, & myrtum, & plenis accumbere mensis,
In Venerem toto uenari ex orbe puellas,
Nocturnas æquare uices, æquare diurnas
Delicijs, nunc, & somnos, nunc, & ducere ludos,
Hei mihi quis robur membris imbellibus addat,
Et teneros artus Stygios obduret in ignes.

LV-

LVTHERVS.

Ille ego Lutherus, Lutheri funera ueſtri
Reſpicite, ò ſocij, quibus olim incognitus oris
Lutherus! quę non Lutheri nomina tellus
Audijt, en quondam qui tot figmenta canebam,
Qui ueterum prorſus conſultą auellere Patrum,
Iuraque Pontificum, & ſacras reſcindere leges
Conatus nunc me inſanas dediſcere nugas,
Et ſapere, ut par eſt, Cocytius ignis adegit.

MAHOMETTVS.

Heù funeſta dies miſeri quæ conſcia partus
Me dedit in lacrymas, qua rupi dira Parentis
Viſcera, qua fouit gremijs, atque ubere nutrix
Infantem blando mulcens cunabula cantu,
Heù Superis inuiſa dies, qua deditus auro
Cępi Niliacas merces mutare Sabęis;
Qua uiduæ thalamos potui fędare iugales,
Quaque meos animos immanibus appulit auſis
Sergius, illa lues hominum, ſcelerumque Magiſter
Atra dies, qua ſuccubuit uictricibus armis
Gens Agarena meis, legeſq; ac iura recepit,
Quæ mihi ſpargenda in populos mandauit Erynnis;
Heù modò nulla manet magni Mahomettis imago,
In cladem, in lacrymas Mahometti gloria uerſa eſt.

MICHAEL.

Deſinite hos, gemitus, olim deflere iuuabat,
Cum fuerat uiuis melior data copia flendi;
Siſtite id lacrymas, neù ducite tempora luctu,
Æternum dabitur Stygijs fugere ſub umbris,
Conditę nunc capita in fauces bipatentis Auerni.

TVRBA REORVM.

Non unquam has Erebi coges intrare tenebras,
Malumus hic ferro excindi, quàm nigra uidere
Tartara, tellurem manibus prensabimus uncis,
Defigemus humi stabili uestigia gressu,
Atque immota solo sternemus pectora proni,
Hic gladium, hic sæuos molire nocentibus ignes.

MICHAEL.

Corpora nequicquam terræ resupina dedistis
Pallentes iter hinc etiam pandetur in umbras,
En Acheron iubeo rupta tellure dehiscens,
Præcipitesque uiros imo in penetralia Ditis
Abripias.

TVRBA REORVM.

Heù, heù, heù, heù, heù, heù, heù.

MICHAEL.

Ad ego demersos impresso terpede calcans
Ferratos foribus defigo in secula uectes.

FINIS QVINTI ACTVS.

Errata.